6
21/1 H
55

Digitized by Google

IN FOEDVS ET VICTORIAM CONTRA TVRCAS IVXTA SINVM CORINTHIACVM NON. OCTOB. ∞ DLXXI. PARTAM

Poemata uaria.

Petri Gherardii Burgenſis ſtudio, & diligentia conquiſita, ac diſpoſita.

AD GVLIELMVM SIRLETVM S. R. E. CARD. AMPLISS.

Domus S.ti Pantaleo Scholarum Piarum

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

VENETIIS. ∞ DLXXII.
Ex Typographia Guerræa.

Ex sacrd. Fran. de Rubeis

6-21-H 55

IN FOEDVS

ET VICTORIAM

CONTRA TVRCAS

IVXTA SINVM CORINTHIACVM

NON. OCTOB. ∞ DLXXI.

PARTAM

Poemata uaria.

Petri Gherardii Burgenſis ſtudio,

& diligentia conquiſita, ac diſpoſita.

AD GVLIELMVM SIRLETVM

S. R. E. CARD. AMPLISS.

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS. ∞ DLXXII.

Ex Typographia Guerraea.

GVLIELMO SIRLETO
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO
Petrus Gherardius S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FEcit meum in Remp. literariam ſtudium, ut, cùm plurima diuerſi generis poemata, undiq. uoluptatis tantum cauſſa collecta, apud me haberem, quibus perilluſtris uictoria, quam non ita pridem Chriſti propugnatores de ſæuiſſimo Chriſtiani nominis hoſte retulerunt, immortalitati conſecratur, ea flagitantibus amicis ut typographis per-

mitterentur, illorum uoluntati non repugnarim. Quanquam iniquum fortaſſe uideri poterat, ſapientibus uiris negare ea, in quibus & ſummi Imperatoris Ioannis Auſtriaci, fortiſſimorumq. militum laudes, & gratiarum pro tantis meritis ad bonorum omnium largitorem Deum actiones continentur. Atque utinam tantum in me indicij fuerit in his poetarum ſeligendis operibus, quantum à me laboris & diligentiæ in illis ipſis conquirendis fuit adhibitum. Quod ſi labor hic meus aliquam mihi à bonarum artium ſtudioſis laudem & gratiam comparabit; erit, quod mihi gratuler: ſin minus, nunquam me tamen, præſtitiſſe ea, quæ & doctis, & mediocriter eruditis uſui atque oblectationi fore ſum arbitratus, pœnitebit. Tibi uerò Cardinalis ampliſſime præſtantium poetarum fœtus collecti ut inſcriberentur, in tuoq. nomine apparerent, multæ maximæq. cauſſæ me impulerunt:

lerunt: quarum potiſſima illa fuit, quòd, cùm tu bonorum omnium conſenſu ſummæ integritati ſummam cuiuſque generis doctrinam adiunctam habeas, hæc, quæ tibi à me poetarum monumenta conſecrantur, pro Chriſtianæ Reip. dignitate à maleuolorum & imperitorum iniurijs defendere & uoles, & poteris. Non eſt credibile, quantum ſplendoris ab eximia nominis tui claritate huic libro ſit acceſſurum. Vale literarum decus, & me, qui iamdudum cupiditate flagro ſummæ erga te obſeruantiæ teſtificandæ meæ, ſuſcipe, & foue. Romæ. Kal. Iun. ∞. D. LXXII.

INDEX
POETARVM,
QVORVM CARMINA HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A

Academia Veronenſis	424
Achillis Statij	37
Alemanij Fini	335.336.338
Alexandri Allegri	210
Alexandri Paulini	347.348
Alfonſi Salneſij	191.195
Aloyſi Groti Cæci	438
Antonij a Monte	305
Antonij Orithei	376.378
Antonij Renerii	383
Antonij Roſanei	416

Aug.Fl.Camp. 212.213
Aurelij Orſi 395

B

Balduini Felicis 255.256.306
Beliſarij Gadaldini 339.341
Bernardini Capitanij 379
Bernardini Leonis 389.390.392
Bernardini Lucatelli 408.410.411.414
Bernardini Parthenij 397

C

Caroli Malateſtæ 10
Cæſaris Mazutillij 302
Claudij Cornelij Frangipanis 206
Cornelij Amalthei 3.7
Coſmi Lauri 172

D

Dantis Ritij 437.438
Dauidis Podauini 432

F

Fabij Beneuolentij 245
Fabij Paulini 348.349

Fabij

Fabij Sfortiæ 436.440
Fabij Vigilis 240
Franciſci Morandi 1.230
Franciſci a Mula 344
F. Queri 334
Franciſci Sirenij 313
Franciſci Vicemani 7
Franciſci Zannij 314

G

Gulielmi Modicij 42

H

Henrici Cantiani 415
Herculis Ciofani 225.226.227
Hieronymi Amalthei 36
Hieronymi Cathenę 308.309.310.311
Hieronymi Florellij 313
Hieronymi Ludouici 402
Hieronymi Rubei 421
Hippolyti Capilupi 29.30.31.228
Horatij Cladi 320
Horatij Paſſardij 303
Horatij Rigalacij 380

I

Iacobi Demij 96.99

Iacobi Fannij 346
Iani Peluſij 386
Incerti 22.23.94.166.209.222.223.224.239.
240.244.252.305.307.312.314.322.323.
324.335.349.352.355.358.361.362.363.
364.365.366.367.375.376.423.425.
Ioannis Cęſarij 224.304
Ioannis Caneuarij 169
Ioannis Cargę 121
Ioannis Pyrgotelli 350
Ioannis Sanctini 349
Ioannis Verzoſæ 40
Io. Antonij Odeſcalci 86
Io. Antonij Taygeti 173
Io. Antonij Viperani 76
Io. Baptiſtę Albani 95
Io. Baptiſtæ Amalthei 31.367
Io. Baptiſtę Arçutij 136
Io. Baptiſtæ Euangeliſtę 303.312
Io. Baptiſtę Oliui 100.114
Io. Dominici Cantiani 330.331.232.333
Io. Franciſci Ferrarij 247.249.251
Ioſephi Leonini 262

L

Laurentij Bellij 258
Laurentij Gambaræ 77.83
Leonardi Coricij 324.326

Ludouici Cauani. 24. 25. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301.
Ludouici Collonij 345
L. Melchioris Barlæi 333. 439

M

M. Antonij Tritonij 19
Marcelli Veſtrij 15
Marquardij Suſannę 343

N

Nicolai Machęropij 351
Nicolai Paladini 217
Numę Pompilij Fini 336

O

Octauiani Menini 437
Octauij Acoromboni 302. 303
Oliuerij Mamphredij 245

P

Palmerij Scardantis 335
P. Fuluij 23. 218. 222

Pauli Rigolini 344.345
Pecini Seiani 153.154.165
Petri Gherardij 23.24.315.316.317.318.319.
320.321.322
Petri à Porta 25
Pompeij Vgonij 20.230.239.259.260

R

Romuli Georgini 345

S

Sacerdotis Antonij Actij Galaractij 427
Sebaſtiani San leolini 258.368

T

Theſei Salæ 350.351
Thomę Corręę 125.129.130.131.135
Tryphonis Bentij 244

V

Valentini Odoricei 353
Valerij Palermi 229

FINIS.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

IN *quibuſdam exemplaribus, ſed perpaucis, errata quædam operarum negligentia commiſſa reperies, quæ nos, dum adhuc ſub prælo erant, in pleriſque correximus. Hic uero ea imprimenda duximus, ne ſtudioſum Lectorem remorentur, ſi cui forte ex pauciſſimis illis non correctis exemplar obtingeret.*

ERRATA ITA CORRIGENDA.

pag. 20.	lin.pen.Pœnis	Pennis
31.	16. ſin. uela.	ſin.in uela.
32.	12. Aeneadam	Aeneadum.
33.	19. Verberata	Verberat
	19. Chriſtæ.	criſtæ.
35.	2. diu	dia.
	16. Hunc	Nunc.
	20. regnis:	regna:
36.	Poema ad Dominicum Venerium reſtituatur Hieronymo Amaltheo.	
37.	21. uictorum	uitiorum.
93.	10. merſet	merſit.
94.	17. laude	laudare.
100.	7. pareat,	pereat.
101.	13. pulſane	pulſante.
	16. domitoſq.	domitoq.
	ult. uiuat	iuuat.
102.	6. noſtriuag.	noctiuag.
106.	14. ſi	ſe
	17. ipſa	ipſe
108.	20. montemq.	mentemq.
	28. diues	Diuos.
110.	4. aeria	auia.
	15. Selym	Selyni.
119.	15. ſedis	ſedibus
123.	4. mones.	moues.

125.	THOAB	THOMAB
129.	6. tuo	tua.
131.	16. medi is	medias
161.	3. Ducenſq.	Duceſq.
158.	4. ſigniferois	ſigniferos.
206.	12. Barbaniæ	Barbaricæ
	13. cællata	uallata
207.	pen. Petia	Retia.
208.	6. inaceſſi	inacceſſi.
	14. accedens	accendens
	23. uenenisq.	Veneriſq.
209.	8. Plegma	Phlegrea
217.	3. Baſcia	Baſia.
218.	2. genus	generis
224.	17. pubſcies,	pubeſcis.
232.	tota pagina repetita eſt: ideoq. delenda	
236.	28. ſaltis	ſaltis
237.	9. Heſperæ	Heſpeiæ
238.	18. Zephiſq.	Zephyriſq.
	27. cui	cuiquam
239.	19. cara	clara.
246.	Epigramma ad Ioan. Auſtr. impreſſum eſt ſupra, 31. Eſtq. Hippolyti Capilupi: ideoq. hic delendum.	
252.	2. Columnæ	Columnam
260.	linea prima deſideratur, Et quando fremitu circumeant uias	
268.	19. uoluit	uolui
269.	7. falſa	falſas
271.	21. curum	currum
274.	14. eiconum	ciconum
277.	10. proterat	poterat.
278.	3. fide	fidæ
279.	1. actu	acta
283.	9. Libyſca	Libyſſa
284.	3. putat.	putas.
285.	16. duos.	ſuos.
287.	13. uulnerum	uulnere
291.	13. oppreſſam	oppreſſa.
295.	16. militibus	militibusq.
300.	12. ſuperunt	ruperunt:
321.	10. In eundem	In eoſdem.
304	6. Ioannes	Ioannis.
307.	2. Cum	Dum
308.	3. petta	felta

310

10.	25. tumenſq.		tumeaſq.
14.	14. monet.		manet.
18.	20. pronte		fronte.
28.	29. pericula		pericla.
33.	13. uellet iam ſemipartas.		uellet ſemiparata &.
34.	14. F. Q. VERI.		F. QVERI
38.	11. funere		funera
40.	1. innumera		innumeræ
41.	25. Aſia		Aſiæ
344.	13. ui		in
347.	5. Nunc		Hunc
349.	Epigrãma in Auguſtini Barbadici obitũ eſt Io. Sanctini		
350.	2. Clauus		Clarius
	3. Io. Pyrgitelle		Io Pyrgotelli.
	Epigramma, incip. Perfidus, eſt Theſei Salæ.		
354.	4. Barbadica		Barbadici
355.	7. trugens		tingens
368.	6. μυροῖον		μυρίον.
	23. Edere		Cedere.
369.	9. Getorum		Getorum.
370.	2. alma		alme
	24. Melitera		Meliten.
371.	9. membra		monſtra
372.	10. impium		imperium.
373.	16. Hunc		Nunc
374.	26. capite		capiti
	11. rigat		regat
	21. æternoſq. itur ad ſ.		æternos itur & ad ſ.
377.	8. &		ac.
	22. Viget		Vrget.
	24. Milles		Miles
378.	9 arcuiſti		arcuiſtis
379.	3. duodene		duodena
	4. Læuis		lætus
383.	13. Vltus		Vultus
386.	18. laudi.		laude.
389.	12. auidor		auidos.
	24. claros		caros
390.	15. felix		Felix
391.	populanter		populantur
392.	20. neu.		ſicu.
	21. pacantem		parantem.
394.	23. militemq.		militumq.
397.	6. notas		rotas.

399.	20. lator	ſator
403.	22. Teſta ac ſue	Geſta ac ſub
404.	9. uolueres	uolucres
	25. rabide	rabidæ
405.	5. læto	leto
406.	3. illa læt.	illa at læt.
	15. agnes	agens
410.	8. Dea	Deæ
415.	8. lucem	luem
416.	13. Dæconis	Draconis
418.	20. heroes	heroas
	28. Contet	Cancer.
419.	19. Mauis	Maius
	ult. 9. con	cum
421.	16. ad	ab
	22. uictam	miſſam
412.	20. Agamenona	Agamemnona.
424.	21. Parchi,N.uagiſq.	Parthi,Nomades uagiq.

ECHO

CHRISTIANAE VICTORIAE NVNCIA.

Francisci Morandi Sirenae Veronen.

INter repoſta, ſummaq. antra collium,
Vnde æſtuoſa lympha proſilit Aponi,
Mirã artubus opem redditura lãguidis;
Et Meduacus herilem in Adriæ ſinum
Prægeſtit obſequenti abire flumine,
Vt priſca regis mœnia inuiſit Phrygis:
Vir ſingularis innocentiæ, greges
Præ ceteris aſſuetus alere gnauiter,
Fato iubente, ſolo euocatus patrio,
Quod aureo lætus Atheſis fluctu rigat,
Fertur pari cæleſtibus uita frui.
Dijs ille, quam qui maxime mortalium,
Carus, cruentam ſæpe deplorans luem,
Qua Chriſtus opprimi ouile permittit ſuum;
Ipſum precis ui ſedulæ non deſtitit
Feruenti ab ira ad lenitatem flectere.
Tum uerò adire templa, tum vrgere acrius,
Maiore cum res eſſet in diſcrimine.

Infeſta noſtro Eoa claſſis nomini,
Cretæa, Venetiſq. propiora litora
Ita occuparat, vt undecunque flebilem
Iam iam imminere terreremus exitum.
Tunc forte, quem narrauimus, ſacer incola
Antri litabat maximo Diuûm Patri.
Dumq. hæret aris mente nuſquam labili;
Audire uiſus eſt ſtrepere latè omnia,
Vaſto cieri cœlum, & æquor murmure,
Turbatus exit: ſicq. fatus, æmulam
Sermonis occurriſſe ſenſit imaginem.
Quid hoc fragoris peruagantis aera? æra?
Quippe æra Martis; at quis es, q̃ ita loqueris quæris?
Iam deſino, ſi, quæ rogauero, indicas. dicas.
Hæc maris ab ora; an ĩ mari pugna edita eſt? ita eſt.
Vbicunque pugna; dimicatur alacriter. acriter.
Heu quiſnam ita fremit? præ timore palleo. Leo
An læua dentur ſigna, dextra ue, neſcio. ſcio.
Minantur aliquid triſte uoces horridæ. ridæ.
Num iuſtus ultor Aſiæ in angues irruit? ruit.
Vtras adhuc uiciſſe feris copias? pias.
Sunt uerba uatis hæc Apolline feruidi. uidi.
Tibi fas procul uidere, ab alto ſcilicet. licet.
Noſtri ne præſtitere robore, & animis? nimis.
Thrax ergo numẽ, vt ante amicũ, haud repperit. perit.
Nec manibus datur ulla ſedes perditis. Ditis.
Beatus, arma qui inter aduerſa obierit. erit.
Monemur hinc ſperare cetera proſpera. ſpera.
Nam quid futurum tanta poſt negotia? otia.

Cœpta

Cœpta peragat labore uictor improbo. probo.
Paret ſecundis uela uentis ſoluere. uere.
Auſis redintegranda bella ingentibus. gentibus.
At interim cui gratuler, dum gaudeo? Deo.
Is dux, is imperator, unus affuit. fuit.
Claſsis caput, lux, aura, rector, nauita. uita.
Ah nos tuos ne deſeras, Pater optime, time.
Nec pœnæ id omne, quod meremur, irroga. roga.
Reuerto in antra, peroſus aulas diuites. uites.
Auramq. uitæ donec extremam hauſero, ſero.
Dantem Deum quæcunque rite poſcimus, ſcimus.
Rogâre pergam. Tu loquax aura ualeas. eas.
Et quando rurſus læta referes, dicito. cito.

Sereniſſimo Principi IOANNI AVSTRIO, Diui CAROLI V. Aug. F. & Chriſtianæ Claſſis Imperatori.

CORNELII AMALTHEI

PROTEVS.

Hoc poemate auctor multo ante pugnam naualem ad Echinadas, futuram victoriam vaticinatus eſt.

AVREA Tithoni cõiux ſubtraxerat umbras,
Pronaq. Puniceo uelarat ſidera uultu,
Cum Sol Eoo tollens è gurgite currus
Illuſtri magnum detexit lampade mundũ.

Tum ſubitò Adriacis Proteus ſeſe extulit vndis,
Quem comitabatur flauos reſoluta capillos
Cymothoe, atque Hyale, niueisq. Arethuſa lacertis,
Atq; aliæ uatem Nereides admirantes;
Ut uentum ad litus, paſſim hic uacinia nigra,
Pallentesq. legunt uiolas, mollesq. hyacinthos.
Mox omnes circunſiſtunt, & carmina poſcunt.
In medio Proteus altum iubet æquora murmur
Ponere, & Aeolios ſtridentia flamina uentos:
Quo iuſſu placantur aquæ, placantur & Auſtri.
Ipſe autem canit, ut nutu ſuſpenderit orbem
Rex ſuperum, qualisq. hominum concreuit origo
Informi ex limo: nec non elementa per omne
Fuſa genus; cæloq. etiam labentia ſigna.
Tum memorat Phœbi curſus, Lunæq. meatus;
Quid ferat Arcturus, quid uerno Pleiades ortu,
Quid triſtes Hyades, quid deſolatus Orion.
His addit Lapithum media inter pocula rixas,
Et dirum exitium Cadmi, uultusq. Meduſæ.
Tum miſeræ Inachidos deplorat triſtia fata.
Infelix uirgo, quondam tu nectare digna,
Et dulci ambroſia, thalamoq. toroq. Deorum:
Nunc autem folijs, & amaro gramine tantùm
Paſceris, atque ſitim limoſo flumine pellis,
Gramineoq. iaces ſeptis incluſa cubili.
Infelix uirgo, quoties tu uerba referre
Conaris, toties auras mugitibus imples.
Ah pater, ah rector ſuperum miſerere puellæ,
Iam miſerere tuæ, finemq. impone labori.

Hinc

Hinc Prognen Tereo conuiuia fœda parantem,
Candentesq. humeros Pelopis, Niſiq. capillos
Commemorat. poſt hæc miſeros decantat amores
Biſtonij uatis, qui quondam coniuge rapta
Auſus inacceſſas Erebi luſtrare tenebras,
Tartareum potuit cuſtodem flectere cantu,
Et reditum ad ſuperos optatæ aperire puellæ,
Sed tamen incautum metus, & dementia uatem
Inuaſit; ſociamq. uię iam luce ſub ipſa,
Iamiam Tænarij egrediens è liminis oris
Reſpexit. tunc illa iterum ſe Ditis ad umbras
Corripiens, Erebi leges, atque impia fata
Viſa queri, miſerumq. uiri incuſare timorem.
Tum canit inſignem ſacris Helicona Camœnis,
Parnaſumq. orbis medium, lętosq. per agros
Aonidum blando labentes murmure fontes.
Te quoque Pyrenes decus, & Mauortis alumne,
Cuius ob imperium cælo caput Auſtria tollit,
Hoc tandem celebrat diuinus carmine uates.
Macte animo Princeps, genus alto è ſanguine diuũ,
Qui modo coniunctas æterno fœdere claſſes,
Magnorum Regum claſſes, Venetiq. Senatus,
Sublimi è ſpecula totum prætexere pontum
Deſpicis, & ualidas Neptuno oſtendere uires,
Eia agè terribili Thracum pete fulmine puppes,
Fulmine, quo mundi moles operoſa paueſcat:
Et gentem ſceleratam imo demerge ſub Orco.
Tunc Aſiæ ingenti perculſus clade tyrannus
Abſcindet manibus crines, atque unguibus ora.

Mox iræ impatiens prærupto è uertice ſaxi
Seſe præcipitem demittet in æquoris undas.
Hinc iuga ſeruitio ſoluent & Maurus, & Indus,
Fallacisq. dei ritus, legesq. profanas
Contemnent, genitumq. colent è Virgine numen,
Et Romana ferent patrias uexilla per urbes.
Tum Parcæ unanimes Saturnia ſæcula reddent,
Et rurſus terrarum orbem Pax alma reuiſet.
Sponte ſua fœcundus ager flaueſcet ariſtis,
Sponte ſua molli ſeſe rubus induet uua,
Aureaque æternùm pendebunt arbore poma,
Ac paſſim uario pingetur terra colore.
Ilice præterea ſtillabunt dulcia mella.
Et pecudes multo diſtendent ubera lacte,
Colludentq. lupis medijs in uallibus agnæ.
Quinetiam placidis ſternetur fluctibus æquor,
Nec Scyllam pinus metuet, nec nauta Charybdim.
Spirabunt Zephyri tantum, quorum omnia flatu
Ridebunt, totusq. adeò lætabitur orbis.
Quare age, nè prorſus deſint hæc otia terris,
Magnanima Heroum ſoboles, iam ſume potenti
Arma manu; teq. his quamprimum accinge trophæis.
Te Bellona ferox, & te Fortuna ſequetur.
Quid loquar Heliadū lacrymas, mutataq. membra,
Quidue piæ Clymenes fuſas è corde querclas,
Cum Phaethonta polo deiectum fulmine uidit?
Omnia, quæ Muſis Helicon, quæq; Iſmarus Orpheo
Audijt, ille canit. reſonos dant littora plauſus,
Donec ad occultas redierunt numina ſedes.

Eiuſdem.

Eiuſdem.

PECTORA *Threicio dum ſcinderet ungue tyranno,*
Impiaq. eriperet dentibus exta Leo,
Cornua depreſſit Phœbe. currusq. retraxit;
Ac mæſto tales edidit ore modos.
Ecquis iò pœnas perſoluit acerbius unquàm?
Non auida Tityus ſic laceratur aue.
Cur ita? Flagitijs hoc tàm crudelior ille eſt,
Vulture quàm morſu durior ipſe Leo.

Protei vaticinium de Victoria Chriſtianorum, ad Echinadas.

FRANCISCI VICEMANI.

HOSTILI *peteret Cypron cũ Thracia Claſſe*
Barbara fœdifragi ſeruans mãdata Tyrãni
Cęruleum medio ſiſtens in gurgite currũ
Fatidicus uates Proteus ſic ora reſoluit.
O quid agis? reditum meditare, auerte carinas;
Nec ſacram Veneri conare attingere ſedem:
Impie diſce fidem Selime, & non temnere Diuam.
Illa quidem ſupplex intra Neptunia regna
Iandudum faciles uentos, undasq. precatur,
Iuratasq. acies ſimul, & ſocia agmina iungit,
Exacuitq. ultura ſuos in prœlia Martem.

Acer adeſt iuuenis CAROLI *de ſanguine natus ,*
Atque animis promptus, dextraq. Columnius Heros ,
Grandæuusq. ſenex Veneris cognomine clarus,
Magnanimiq. Duces prȩſentia pectora bello .
Quos omnes idem urget honos, idem intentat ardor.
Iam nunc horriſono concordia claſſica cantu
Perſtringunt aures, armorum & lumina fulgor .
Iam totum hoſtili fractum ære remurmurat æquor .
Atque faces , & tela uolant, ferit æthera clamor ,
Ingentiq. crepant tormenta impulſa ruina .
Ecce tuas geminata rates de turribus altis
Fulmina diſiiciunt, perturbantque impete diro ;
Auſtrius ecce memor patriæ uirtutes in arma
Sæua ruit Princeps, & prælia cominus audax
Conſerit , ac claſſi præfectum obtruncat , & haſtæ
Affixum caput attollens dira agmina terret .
Hinc dextro inſurgens ualidus furit Auria cornu,
Barbadicus ruit hinc ad litora curua ſiniſtro
Conſilÿsq. manuq. potens , & præripit hoſtem .
Confligit , ſternitq. uiros paſſim Itala pubes ,
Ceu ſegetem , obſtantes , paſſim proſternit Ibera ;
Ingentem clademque, & funera ſæua tuorum ,
Et mare purpureum Turcarum ſanguine cerno .
Aut cadit infeſti letali uulneris ictu ,
Aut capitur pugnans incaſſum Thracia turba .
Nuncius è numero uix omni elabitur unus .
Ac ueluti latè bacchatur flamma per agros ,
Interdumq. uorat ſpirantibus ordea uentis ,
Ilicet atque inopi reddit uacua arua colono .

Sic

Sic ferro Heſperia conuecta ab utraque iuuentus
Caſtra inimica premit, confeſtim & conficit hoſtem
Qui tibi tunc ſenſus? quanti per mœnia luctus;
Cum noua fata tuæ uenient inopinaq. gentis?
Ira, dolor te præcipitem uexabit, & uret;
Abſcindent querulæ glomeratum à uertice crinem,
Alternis plangentq. nurus ſua pectora palmis
Dirum execrantes bellum, & tua perfida facta.
Barbaricis ſpolijs, prædaq. Orientis onuſti
Victores Itali, & ſocij potientur Iberi,
Captiuasq. uehent Corcyræ ad litora pinus,
Poſtibus affigent hoſtilia ſigna ſuperbis,
Inſtituentq. aras ſacrum Pæana canentes.
Itala reſtrictis domitus Thrax lora lacertis
Sentiet, atque nouos ſueſcet decorare triumphos.
Ipſa Venus pœnis inimico à ſanguine ſumptis
Diua roſis ſparget biferos hiemalibus hortos;
Exprometq. hilaris multo ſua gaudia flore.
Talia ueridico fudit de pectore Proteus;
Quæ cuncta accepit circum gens cærula Nerei,
Virtutemq. Ducum mirata, & fortia facta.

Nereidum Cantus ad Sereniſſimum IOANNEM AVSTRIACVM CAROLI V. Imp. Aug. Filium.

CAROLI MALATESTAE.

LITORE cũ primũ Claſſem deduxit Ibero,
Et curſũ Heſperiæ magnæ cõuertit ad urbes
Inuicti ſoboles pulcherrima Cæſaris Heros
Auſtriacus: medijs illi Nereides undis
Lætitia oblatę ingenti, plauſuque fremebant.
Alma quibus myrrhæ Tethys fragrantis odore
Sparſerat effuſos humeris a uertice crines;
Et ſtudio incumbens cultuque ornauerat omni;
Muſcoſos ſubter thalamos, & murmure rauco
Aſſiduę flantis zephyri, fluctuq. ſtrepentes.
Quos intra æquoreæ celebrant conuiuia Nymphæ,
Oceanoque patri cæleſti nectare libant.
Vnde abeunt lætæ; ſi quando e gurgite uaſto
Prodire, egregijsq. uiris occurrere gaudent.
Vt perhibent culto diuini carmine Vates
Argolicis illas Heroibus occurriſſe.
Qui primi indomitos auſi tranſmittere fluctus,
Et tumidum curua pelagus ſulcare carina,
Velleris aurati ſpolium, laudemq. petentes.
Vt quæ ferunt multis manifeſto in lumine uiſas,
Auditasq.

Auditas ſimul; Carolo trans æquora uecto
Dum comites irent, quaſcunque adu erteret ille
Auſtriadum famam protendens uictor ad oras.
Illæ igitur magni memores Herois, ut ipſum
Viderunt Iuuenem gemmis, oſtroque decora
Inductum Chlamyde, atque auro fulgentibus armis:
Quem proceres circumſtabant, & lecta iuuentus,
Actutum agnouere: alacresque attollere uoces
Exorſæ, has illi referebant ordine laudes,
Aonio late mulcentes æquora cantu.
Aduenis optatus nobis DVX *Inclyte uotis*
Omnibus: ac lætam uenienti aſſurgere iam nunc
Italiam cernes, quò te laus excitat ingens:
Inſtructumq. opibus ſummis, & claſſe potentem
Auſpicio Diuum quò te Rex maximus Orbis
Mittit, ut auxilio populis florentibus adſis,
Præſidijs auctos, ueſtro pro fœdere, qui ſe
Cum uideant tantis, iungant quas protinus omnes.
Expediunt nuſquam deiecti in prælia uires.
Tum qui muneribus, durisq. laboribus acris
Militiæ præſtant obeundis, undique claro
Exciti ſonitu, coeunt inſignia læti
Sub tua, quæ media præfers extantia puppi.
Hos animi præſtans inter, pulchrisq. ſub armis
Conſpectus ſeſe Farneſius inſeret Heros.
Romulidum commiſſa Duci de ſanguine claro.
Quem ſoror in lucem ſimul edidit ac tua; partu
Felici Aeneadumq. Vrbem, & Latium omne beauit.
Hunc gladijs accincta phalanx comita tur acutis,

Et iuuenum magna primi cinxere caterua
Bellandi ſtudio quoſcunque aut Martia Roma
Inſtructos ferro primis eduxit ab annis.
Aſſueti quicunque graues obijſſe labores
Venantum: rapidoq. feras præuertere curſu
Eridani latis campis, ſeu rupibus altis
Præcipiti fertur quas inter flumine Tarus.
Ipſa tibi auxilio tranſmittit & Vmbria pubis
Læta Ducem, floremq. ſuæ. quem laudis auitæ
Accendit ſtimulis haud mollibus æmula uirtus.
Vltro aderit magni monitis, opibuſq. parentis,
Tum propria fidens uirtute ac pectore forti.
Tyrrheno exultans iam nunc & litore ſiſtit
Aduectus celeri montana per opida curſu.
Huic & amore pari, cognato & ſanguine iunctus
It comes inſigni forma, & florentibus annis
Spectatus puer. Etruſci gens accola ponti.
Quem ſtudio obſeruat multo, placidoq. parentis
Læta ſub imperio, nec ſegnes exigit annos.
Gens dura, & manibus duros conuellere montes
Rupibus, immaneſq. excindere ſueta columnas,
Quæ Parium uincant marmor candore niuali.
Quin Tiberis pulchra comitatus ad oſtia claſſe,
Cælatam clypeo fulgenti ex ære columnam
Arduus attollens, ſeſe feret obuius Heros
Inclytus. haudquaquam mentis confidere ſanctæ
Conſilium ueritus Pater eſt, cui Maximus ille,
Plurima quem ſacri penes eſt cuſtodia cultus.
Necnon & præſtantem animi dimittere ad Vrbem
Egregiam,

Egregiam, Adriaci egregiam decus æquoris Vrbem,
Nimirum inuigilat ſancto dum fœdere Patris
Prouida mens Vrbi Regem adiunxiſſe potentem.
Nunc etiam uoti compos, hunc omnibus auctum
Auxilijs, ducis & defunctum munere ſummi,
Victorem bello toties, clarumq. triumphis,
Communes auſpicijs lætis immittit in hoſtem.
Quiſque igitur quantò diuinæ laudis amore
Accenſus magis, hoc propius fortiſſime Ductor
Ille tuis comitem properat ſe adiungere ſignis:
Seu pulchra Auſonia, regniſue oriundus Iberis.
Quos tu conſilio prudens moderabere multo.
Et tua per benefacta oculos uoluentibus illis
Ardua quæque dabunt Diui ſuperare ferendo.
Sic tibi magnanimi fuerint monimenta parentis
Obuia, flectenti quæcunque ad littora claſſem.
Tum memori recolens animo ſua fortia facta
Inuia nulla tuæ uirtuti erit æquoris unda:
Obſtabuntq. tuis nullæ conatibus urbes,
Extremos donec protendas uictor ad Indos
Auſtriadum nomen terris fatale regendis.
Ite igitur ſummi ductu Ducis, ite frequentes
Inuicto Proceres ſpectati robore, & armis.
Quaq. uiam uirtus aperit, quà gloria uobis
Monſtrat iter, ſpondet quà Iupiter ipſe triumphum
Hoſtibus inſignem uictis contendite curſu.
His dictis finem facerent cum deinde canendi
Nereides, zephyriq. implerent uela fauentes,
Continuò noua lux pelago, terraq. refulſit;

Heroumq.

Heroumq. Chorus candenti in limine cæli
Aſtitit, ac roſeum demiſit ab æthere nimbum.
Felices animæ mortalis tempora Lucis
Defunctæ, quæ nunc uita meliore fruuntur.
Rodulfus generis clari, Regumq. Ducumq.
Auſtriadum priſcus pater: ac felicibus olim
Romanum Imperium fatis ſortitus. & alter,
Quod toties pugna uictor ſuperauerit hoſtes,
Iure Triumphator pulchro cognomine dictus.
Proximus huic, uerùm ſpatio haudita proximus æquo,
Iuſtitiæ, pacisq. ante omnia cultor, & æqui
Longæuus Federicus, & hunc prope filius Orbis
Imperium æque Iuſtitia tutatus, & armis:
Connubio felix nati, felixq. nepote
Poſt patrios Reges cui diues Iberia ceſſit
Auſtriaco commiſſa Deum haud ſine numine, Regi.
Tum gemini fratres æui duo lumina noſtri
Palladis, & magni Carolus Mauortis alumnus,
Qui totum impleuit factis illuſtribus orbem;
Auguſtæq. recens ſobolis decus, & pater, & Rex
Optimus, ac ueterum nulli uirtute ſecundus
Ferdinandus. ab ætherijs qui ſedibus omnes
Pro regali oſtro, gemmisque, auriq. corona
Cæſariem ſtellis redimiti, ac luce decori
Oſtenduntſeſe interdum mortalibus: & nos,
Noſtraque nunc etiam ſolita pietate tuentur.

Poemata de fœdere in Turcas.

MARCELLI VESTRII.

Hactenus aduerſo creſcentes Marte ruinas,
Ciuicaq. ad mæſtos fleuimus arma rogos.
Fleuimus: at ſanctis humiles quàs ſudimus aris,
Non ſpreuit ſurda Iupiter aure preces.
Nunc ineunt noſtri ſocialia fœdera Reges,
Nunc & in Aurora debita bella mouent:
Ite procul curæ triſtes, procul ite querelæ,
Ite per Ægæas, quas tenet hoſtis; aquas:
Ite: Pius pia Vota facit, prece numina flectit,
Et primas acies ab Ioue primus habet.
Magnanimi Heroes Diuum genus æthere miſſi,
Scilicet ut mundi ſuſtineatis onus,
Nunc ò nunc alacres feſſo ſuccurrite Sæclo,
Quò Princeps hominum, quò Deus ipſe uocat.
Quid non ungue ferit, roſtroq. inſurgit acuto
Aligeras inter fulmine maior Auis?
Cur non illa ſuis Iouis omine remigat alis?
Cur non illa ſolo ſæuit, hiatque mari?
Cernite ut indomita Leo Martius æſtuat ira?
Vt ferus ore fremit, ut ferus ungue petit?
Vt tumet, ut magnis terret clamoribus Indos?

Vt

Vt Numidæ, ut Thraces, ut pauet omnis Arabs?
Quàm bene uterq. poteſt cõmunẽ inſurgere in hoſtem?
Imperat illa auibus, imperat iſte feris.
Illyricis ſciet illa plagis auertere Turcas,
Hic rurſus Cyprias ſcindere uictor aquas.
Illa feras acies & fulmine perdere turmas,
Hic ponto Libycas pone fugare rates.
Nunc etiam Adriaco Rex labitur æquore Iberus,
Surgit & in fortes fortior enſe Scythas.
Magnis maior auis hic ſceptra tyrannica uertet,
Euincet patrium reſtituetq. decus.
Et Solymæ ſedes, & diuitis oſtia Nili,
Seruili eripiet ſub pia ſigna iugo.
At tu deuictaq. Aſia, Libyaq. ſubacta,
Europæ exitium dire tyranne paras?
Auſus & immenſas obſidere milite terras?
Auſus es æquoreos claſſe ciere Duces?
I nunc Heſperiæ uires & robor utrunque,
I nunc Auſtriacos experiare viros.
His etenim auſpicibus terris te Iupiter arcet;
Inferniq. adiget guttura in ima canis.
Deſine lunatis ab demens fidere peltis,
Illa nec oſtenta barbara ſceptra manu.
Quid forti tibi milite opus, quid claſſe, quid auro?
Quid fruſtra in ſanctos induis arma Deos?
Chriſte Pater, Chriſtiq. cohors, qui ſanguine ueſtro,
Nos immortali reſtituiſtis hero:
Vos ne pati, noſtris nec pellere finibus hoſtem?
Et tolerare dolos, nec prohibere nefas?

Non

Non ego uos ſarcire peto, quæ crimina nobis
Damna ferunt: culpam pœna ſecuta luat.
Vos pietas, uos ſanctus amor, vos gratia, vos &
Ah moueat ſpreti ſplendor honosq. poli.
Fœdifragos Stygio ſub carcere pœna tyrannos
Non ullo maneat non lacrymanda die.
Nec poſthac malus ille fidem contemnat, ut hoſtem
Aut periurati rideat arma Dei.
Aſpicite, ut pergat regales cædibus vrbes,
Et Cyprum extinctis expoliare viris.
Et geminare neces, prædasq. augere triumphis,
Et pia ſacrilega templa abolere manu:
Vt ſcelus intactum furor improbus iraq. nullum,
Liquerit, in ueſtras ut mala nulla domos.
Ah dolor: omnipotens rector uos deſereret Orbis,
Seruitium nobis dum graue Turca parat?
Non ita: dat nobis in aperta pericula uires,
Scilicet & uinci neſcia corda Duces.
Ergo uos animis reges armisq. fauete,
Non ſint in miſerum fœdera ſancta iocum.
Aeolus aſpiret nobis, & ſeruet euntes.
Victores patrio reſtituatque lari.
Vos grauibus terras & pontum ſoluite curis;
Soluite ſollicito ſaucia corda metu.
Nec uos horrifico turbent ſtridore cateruæ:
Non multo claſſis milite & ære grauis.
Auguror: ardentes hoſtem tradet Orcus in amnes:
Hæc erit irato præda opulenta mari.
Nil deſperandum: quæ iam cecidere reſurgent,

Et quæ creduntur non peritura, cadent.
Nuper fatales quis non defleuerat annos?
Quis non ſupremum uiderat ire diem?
Hiſpanum in Regem Rhenus tulit arma rebellis,
Diſcors ſe proprio ſanguine tinxit Arabs.
Inſanis Galli deflagrauere ruinis,
In mare præfluxit ſanguinolentus Arar:
Cœlo labentes flammas uidere Sueui,
Creuit tabificis turbidus Iſter aquis.
Edidit Eridanus uaſto graue murmur hiatu,
Et moto inſonuit contremuitq. ſolo.
Flaua Ceres ſtipula meſſes eluſit inani,
Et tellus grauidos clauſit auara ſinus.
Hæc ſunt ſigna diem extremam minitantia: fient
Noſtra tamen poſitis aurea ſæcla malis.
Et diues pleno ueniet concordia cornu,
Laurigerasq. oleis pax redimita comas.
Tunc dape ſolemni, tunc carmine quisq. per aras,
Reddat odoratis uota precesq. locis.
Gratia tota Pio, per quem diſcordia cedit,
Per quem placato cedit & ira Deo.
Viue diu mundumq. diu PIE QVINTE *guberna,*
Serus & æternis reſtituare choris.

M. ANTONII TRITONII.

DILECTAE miſeranda Cypri dum funera cernit
Alma Venus, roſeum os lacrymis ſuffuſa decoris,
Ingemit, & liquidum ſingultibus æthera complet.
Sed pater omnipotens celſi Regnator Olympi
Parce malis Erycina, inquit, formoſa querelis:
Me quoq. quos fœtu profudit terra nefando,
Ter ſunt conati æterna depellere ſede,
Arida ter diræ detruſi in uiſcera matris.
Pulchrum nata tuum uaſtet gens barbara Regnũ,
Et mea Cretæam cunabula terreat Idam,
Illyricos penetret ſcopulos, abducat opimam
Bellatrix prædam, & magnum tremeſecerit æquor.
Vidiſtin nóſtri ſublimi nube miniſtram
Fulminis in ſaturas infelicesq. uolucres
Deſcendentem Aquilam Italis de litore Ibero
Auſtriacus iuuenis, tuus ingens Carole ſanguis
Virtutem ob ſummam Cœlo decus addite noſtro,
Fertur in aduerſam claſſem maiora paternis
Viribus atq. animis meditans. huic aurea rident
Sydera, dat curſus Zephyri leuis aura ſecundos,
Et placidi hiberno ſubſidunt tempore fluctus.
Monſtra cadent inimica mihi: pars brachia uinclis

Aſſueſcet, piceo pars cæſa uorabitur igne,
Sanguine permixtas proprio pars hauriet undas:
Cyclades è pelago attollent capita admirantes.
At puerum latis victoria conteget alis,
Felicem puerum, Duce quo mihi Gnoſſia tellus
Tuta ſatis: tu Diua Paphon atq. alta Cythera,
Iuno Samon, Phœbus Pindi iuga Pallas Athenas
Læta colet: poſito flaueſcent ſæcula ferro.
Sic ait, & nutu Stellantem concutit Orbem.

Pompeii Vgonii.

Q*VAM multa in teneris millia frondibus*
Se condunt auium, grando ubi decidit,
Cœlo magna repente,
Aut nox Oceano ruit.
Quàm multas Libyco in litore, cum facem
Oſtendit pluuij ſidus Orionis,
Eurus torquet arenas,
Foi maris arbiter.
Quàm magnum numerum demetit Apulus
Exuſtus ſegetum ſole nouo: Patri
Tot uos reddite grates
Puro pectore Cœlitum.
Intactam ſocij dicite virginem:
Pœnis conſpicuum multi coloribus
Cuſtodem vrbis & Orbis

Latis

Lætis tollite laudibus.
Tandem perpetuo fœdere Principes
Se iunxere tui Chriſte: quis hoſtium
Curet tela frementum?
Quis dirum paueat Scythen,
Quanuis à Borea per latus Arcticum,
Eoasq. domus imperium ferox
Chriſti porrigat hoſtis,
Vos ò uos tamen illiti
Sacro rore metus in mare Caſpium
Portare Aeolijs tradite flatibus:
Alti Rector Olympi
Nobis prælia proſperat.
Nec fulgent eadem ſidera Nauitis
Semper: ſic toties uictor atrox Scytha
Tergum vertet, & ore
Mordebit pauido ſolum.

QVID *iam, quid Scytha proderit*
Crudelis, toties, ut dominam æquoris
Seruili premeres iugo,
Illeuiſſe nigro ſpicula toxico?
Quid dura pice nauticas
Aſtrinxiſſe trabes, uelaq. turgida
Soluiſſe Ionio mari?
Fruſtra iam Lelegas, & Nomadum genus,
Et turmas equitum Africæ,
Fruſtra Maſſagetas, Regnaq. Caſpia
Accerſes. Miſer ò miſer

Ictum non ne uides fœdus in imperi
Summam perniciem tui?
Sentin cæruleis ut fremit Hadria
Imo è gurgite fluctibus?
Non flauum Tiberim reſpicis, & Tagum?
O quantus ducibus tuis
Sudor, quantus equis inſtat anhelitus,
Quantus remigibus labor?
En nos: rumpe moras. exeat, exeat
Infauſta ratis alite.
Contra magnanimæ robur Iberiæ,
Contra nobilis Hadriæ
Florem quid poterit? quid? ſi Italam manum.
Agmen Marce per hoſticum
Mittas? quid, ſi etiam Romulidas tuos?
Vertet Barbarus illico
Fracto terga genu: te reuehet domum
Curru gloria Martio
Ornatum folijs tempora Delphicis.

Incerti, in Neptuni ſtatuam marmoream, in D. Marci gradibus.

DIc Neptune, iſto quid celant fata tridente?
Vim ne trium, quorum fœdere magna geres?

In Martis ſtatuam marmoream, in iiſdem gradibus.

INCLYTE Mars, Marci gradibus præfecte, tuum ſit
Huius & Imperij tollere ad aſtra gradus.

P. FVLVII.

FINGE nouos Pie Quinte Orbes, nam fœdere iunctis
Unum iam ducibus uix ſatis eſſe puto.
Tu quoque Turca nouas artes extunde, uel arma.
Quid pharetra? aut arcus? quidue machæra iuuat?

PETRI GHERARDII.

E NEMORE Idalio fuluum Diana Leonē
Expulerat cornu miſſilibusq. potens.
Aliger ille petit Cretæam ſaucius Idam,
Ploranti & ſimilis ſupplicat inde Ioui.
Sedem uaſtari natæ indignatus amœnam,

Non ſpreuit ſurda Iupiter aure preces.
Et iubet, auxilium præpes ferat armiger Ales.
Et Cyprum iunctis uiribus ire paret.
Ergo animo comites læto Pia iuſſa ſequentes,
Tendunt ad Cypriæ Regna beata Deæ.
Quàm poterit bene uterq. trucẽ conſurgere in hoſtẽ?
Hic ualet ore ferox, hic ualet ungue ferus.
Ni procul aufugiat ſæuis armata ſagittis
Diana, huic rabido eſt præda futura gregi.

Eiuſdem.

LVMINE *Luna notho credis te poſſe uolucrum*
Lædere reginam, dum uolat illa mari?
Falleris: hæc oculis radiantia lumina Solis
Suſtinet; & temnet lumina parua tua.

LVDOVICI CAVANI.

TV *Pater omnipotẽs noſtros miſerate labores,*
Biſtonij aduerſus bella nefanda duces
Mente inſpirata iunxiſti fœdere ternos,
Vt claſſem Iſmariam diſijciant pelago,
Concordes ualeant hoſtilem retundere ferrum,
Cæſa ſuper ponto gens inimica natet:
Et reſtinguatur penitus Rhodopeius ardor,
Nec ſit, qui contra iam ferat arma crucem.

O ſa-

O Sacra vincla Dei, quibus expugnare ſuperbos
Tu, Pie, uos Veneti, tuq. Philippe potes.

Eiuſdem.

DVCVNT *horrendum inter ſe contraria bellum:*
Conſerit Impietas cum Pietate manum.
Spes hinc uincendi magna eſt, metus inde cadendi:
Hæc ductum ſequitur Dæmonis, illa Dei.
Vtram igitur partem maneat Victoria, conſtat:
Conſiſtes Pietas, corruet Impietas.

Eiuſdem.

IVNXIT *quadrupedum pietas cum Rege uolucrum*
Reginam, ut fortes horrida bella gerant.
Quos contra? dentesq. canum, rapidosq. ferarum,
Vngues. cur? rabies ut cadat, ut feritas.
Vt uincant, Paſtor quæ præbuit arma? Columnam,
Quæ nec dente fodi, nec queat ungue peti.

PETRI A PORTA Placentini Carmen.

TVRCA *ferox latũ uaſtabat cædibus orbẽ,*
Vt uis nulla uirum, nõ ferrent arma ſalutẽ.
Scilicet Italiæ cum funera dira pararet,
Cum Mare, cũ Terras ſæua ditione teneret,
Ibat ouans, auſus Cælo iactare cathenas.

Tum

Tum Pivs *ante alios Paſtor Sanctiſſimus omnes,*
Triſti communes expendens corde ruinas,
Dum pater ut cunctis, pro cunctis excubat unus,
Ad Christvm *tollens caſto cum pectore palmas,*
Ingemuit grauiter, taliq. eſt uoce precatus.
O *qui morte tua æterno nos ſuſcipis æuo,*
Christe *pater, ueteri primorum labe piata;*
Vnigena ò miſeris ſemper ſpes unica rebus,
Quem finem noſtro ſtatuis Rex ſumme labori?
An modus ullus erit curis, an caſibus unquam?
Ecce uides ſtratum Turcarum claſſibus æquor.
Vndiq. bella ruunt, Mars impius undiq. terret.
Vndiq. Turca fremens ſæuis circunſonat armis.
Hinc tua religio eſt audaci prẹda Luthero:
Hinc ipſam Iudæus atrox, hinc Parthicus urget.
Lex tua uim patitur, concedunt iura furori.
Non templis ſeruatur honos, non fœdera paci.
Quos dederas, ritus turpi ſunt ludicra uulgo.
Nil niſi bella, neces, prædas, incendia, ſtrages,
Triſtibus inſultans clamoribus intonat hoſtis.
Proh ſcelus indignum, mirandi pignus amoris,
Subiacet heu tua deſperatis hoſtia p'antis.
Hæc ſine quis magno poſſit meminiſſe dolore?
Hæc ſine quis largo uideat tot vulnera fletu?
At ſperare iubes populos tua ſigna ſecutos
Numen, opemq. tuam Plutonis prælia contra
Pollicitus; promiſſa tuis Rex maxime rebus
Confirma: infandum & depelle altaribus ignem.
Da pater auxilium, ſtridenti occurre procellæ.

Affer

Affer opem cymbæ, medijs quæ fluctuat undis.
Te ſine uela regat, ſuperet quis flamina rector?
Reſpice iam quæ monſtra tuo inſidientur ouili;
Quàm Leo terribilis, rabies quàm cruda ferarum.
Nec patiare rapi quæſitam ſanguine gentem.
Sic PIVS orabat Paſtor, lacrymasq. ciebat.
Cum uindex hominum, precibus qui conſulit æquis,
Audijt, affatusq. alto eſt ſeruator olympo.
Care ſenex annis, animi maturior, aris
Quem uolui præeſſe meis, gentiq. redemptæ,
Perge uigil fida populum ſtatione tueri.
Subtrahe corda metu, æternum tua regna manebunt.
Vincet uim pietas, cedet uictoria iuſto.
Laus tua maior erit denſis obſepta tenebris.
Quo pacto medeare malis, aduerte: monebo.
Auſtrius eſt iuuenis nulli uirtute ſecundus;
Proximus huic genere, atque animo Farneſia proles,
Clarus Alexander, patrio qui inſiſtit honori:
Et quem conſilio tulimus, factisq. decorum,
Eſt Venetus, Columna grauis, mox Auria prudens.
Impiger Vrbinas, praſtat qui robore mentis.
Corneaq. Aſcanius, uera eſt cui gloria cordi.
Atque fide inſignis, claris Vrſinus & auſis.
Pro CRVCE tũ Cruceus, quẽ nulla pericula flectunt.
Gonzaga impauidus, talem quem fecimus ipſi.
Quiq. animo floret, Sanctæ & cognomine Floræ.
Quid Melitæ equites caſtris gens dedita noſtris?
Hæc quibus eſt pro te, quantis iactata periclis?
Tu quoque magnanimo poteris gaudere nepote,

Prima

Prima petet, nemo extremum rediſſe uidebit.
Sunt alij mortem noſtra pro lege paciſci,
Atque extrema alacres pro religione ſubire.
Hos accerſe Duces, tantis hos præfice rebus.
Sed prius admoneas, ullo ne robore freti
Bella gerant, aliquidve ſuæ quis uindicet arti.
Fidat quiſque Deo, haud ferro, nec uiribus ullis.
Hic ego namque adero, certasq. ad prælia uires
Sufficiam, uerosq. metus hic hoſtibus addam.
Hic quantum pro te ualeat mea dextra, uidebis.
Nam tibi Turcarum demerſas æquore puppes,
Vndantemq. dabo crudeli ſanguine pontum.
Non tamen hic ſiſtet felix uictoria metas.
Prima ſed immenſo claudetur gloria fine.
Eubœam, claramq. Rhodon, poſt Cypria regna
Hi tibi reſtituent, & priſcam me duce Sparten.
Poſt Conſtantini conſident mœnibus urbis.
Dein Pharios ſubigent reges, Cilicesq. Tyrannos;
Et qua uergit Arabs, & qua Mæotica palus.
Tradet Perſa manus, tradet gens Africa uictas.
Tunc monumenta ruent Maumetis ſtulta nefandi.
Exim Lutherum melior ſententia uertet.
Tuq. meo fundes ſacrato uota ſepulcro.
Deniq. compoſito diuinis legibus orbe,
Vnus Paſtor eris, populis CRVX *omnibus una.*
His mecum exactis, cæleſti pace quieſces.

HIPPOLYTI CAPILVPI VATICINIVM.

O Decvs Europæ iuuenis, qui ſanguine cretus
Cæſaris, audaci nunc freta claſſe ſecas;
Iam cape tela manu, teq. aude credere pugnæ:
Cuncta tibi cæli ſigna ſecunda fauent.
Nullaq. iam pluuias auis increpat ore morantes,
Nec turbata notis amplius unda tumet.
Et turpi dat terga fugæ perterritus hoſtis,
Qui uidet Imperium te penes eſſe freti.
Rumpe moras, & uince mari fœlicibus auſis,
Nullus erit terras mox domuiſſe labor.
En tibi Roma parat terra, pontoq. ſubacto
Auguſtum duplici cingere fronde caput.
Iam uenias, diuumq. ſacris inſige columnis
Victor in Aegeo parta trophæa ſalo.
Et Graio domiti in campo ſpolia ampla Tyranni
Puppe coronata per Maria alta uehas.
Huc etiam tuus euictis pater inclytus Afris
Aurea de Libyæ litore dona tulit.
Et merita ornatus, populo plaudente, corona
Hac niueo inceſſit ſæpè ſuperbus equo.
Felices ambo, cum te quoque læta fouebit
Iure triumphantem Martia Roma ſinu.

Illa tuos nunquam ceſſabit tollere honores
Laudibus, & nomen uoce iterare tuum:
Cum te uictorem exuuijs Orientis onuſtum
Cernet, & ante tuas oppida capta rotas.
Hæc inter Paphon agnoſcet, bimareq. Corinthum,
Et Gnidon, & claram Sole nitente Rhodon.
Et loca ſacra tuo nobis quæſita labore
Suſpiciet, quondam ſanguine tincta Dei.
Spectabitq. ſuo currentem mollius Indum
Flumine: nam uictis per uada ſerpit aquis.
Brachiaq. euinctos Thracas poſt terga uidebit,
Atque Deo captas mille fauente rates.
Quiq. erat Italiæ populis modò terror, & horror,
Aſpiciet dantem colla ſuperba iugo.
His oculos paſcens mirabitur inclyta Roma
Magni facta patris te ſuperaſſe tui.
Ille dedit terris leges uictricibus armis,
Notus & Eois, notus & Heſperijs:
At tu (ſic placitum Superis) felicior illo,
Et pelago, & terris aurea iura dabis.

Eiuſdem.

TE pater adſpiciens ex alto Cæſar olympo,
Aequoreum celeri dum trabe curris iter:
Perge puer, dixit, nec te iam barbara claſſis
Terreat, aduerſo quæ ferat arma Deo.
Ecce tuam circum uolitat uictoria puppim,
Ecce ſuas ponunt Eurus, & unda minas.
Macte animo: ut dederam terris ego iura ſubactis,
Sic tibi deuictis ſeruiet æquor aquis.

Eiuſdem.

Eiuſdem.

AD IOANNEM AVSTRIACVM.

O IVVENIS, *qui uictrici nūc claſſe ſuperbus*
Sanguine das parto Martia iura mari,
Et facis ut Tibris iam tutior influat æquor,
Et magis auriferi ſplendeat unda Tagi,
Perge precor, belloq. feri pete Regna Tyranni,
Terga repente dabit barbara turba fugæ.
Quis contra pugnantem Aquilam, ualidumq. Leonē?
Quis contra inuictam iam feret arma Crucem?

IN VICTORIAM.

IOAN. BAPTISTAE AMALTHEI, ad Sebaſtianum Venerium Ducem Claſſis Venetæ.

A*VSA Dei claſſem, ſociasq. laceſſere puppes*
Impia gens, Euris ſinuoſa uela uocatis,
Horruit aduerſas acies, fractasq. ſuperbæ
Vidit opes Aſiæ raptis ſpoliata trophæis.
Illa per Ionios centeno remige fluctus
Ibat ouans, triſtesq. minas, & bella ferebat,

Impu-

Impuleratq; Duces Cretæa à ſtrage recentes
Rurſus in arma uehi, & duro diſcrimine rurſus
Hoſtiles petere exſuuias, & Martia ſigna,
Obuia cum triplici ſeſe tulit ordine claſſis,
Auſpicio iam freta Dei, cœloq. ſecundo,
Euertitq. trucem ualidis incurſibus hoſtem.
Tum ſuperum delapſa cohors plaudentibus alis
Irruere, & uacuas uiſa eſt rutilare per auras,
Et nunc barbaricas pelago ſubmergere puppes,
Nunc inuiſam aciem rapidis inceſſere flammis,
Aut pugnare manu, medijsq. inſidere tranſtris
Aeneadam, & Venetæ defendere robora pubis.
Pars autem clypeis uenientes excipit ictus,
Aut ſtipata leui circumuolat agmina gyro:
Non ſecus, ac rigui ſi quando ad ſtagna Cayſtri
Candentes liquido glomerantur in æthere cycni,
Imbellesq. agitant uolucres, & inertia cedunt
Agmina; ſanguineas zephyrus rotat aere plumas.
Cinge triumphali uictricia tempora lauro,
Dux Venetum, cui clara ſuæ cognomina gentis
Dat Venus, & ſpolia ampla tuo cape debita Marti,
Seruatæ columen patriæ. Tu maximus ille es,
Aequoreæ qui primus inis certamina pugnæ
Cladem Aſiæ intentans: Diui comitantur euntem,
Et curæ uigiles, & ouanti gloria plauſu.
Vltricesq. rates, & ahenea mittis in hoſtem
Fulmina, ſuſcepto igne cauis impulſa metallis:
Quo ſonitu tremuere undæ, perculſaq. longè
Ambracia, & pauidæ latuere ſub æquore Nymphæ,
Et refluo

Et refluo trepidans Achelous inhorruit amne.
Nec te ullæ belli facies, amiſſaq. terrent
Regna, nec auectæ diuerſo ab littore prædæ.
Nec te animi uigor, & ſeris graue robur in annis
Deſerit, & fracto exuuias ex hoſte reportas,
Eq. tua prior emicuit uictoria puppi.
Tum iuuenem Imperio inſignem, quem Cæſare magno
Progenitum uirtus per grandia facta parentis
Euehit, & cœlum promiſſaq. ſidera monſtrant,
Attonitæ uidere acies in prœlia uerſum,
Quo pietas, quò laudis amor, quò gloria traxit,
Et belli molem regere, & uirtute tueri,
Qualis Atlas humero ſtellantem ſuſtinet axem.
His quoque ab auſpicijs, tantæ pars maxima pugnæ,
Curarumq. comes, ſacris Antonius armis
Turbabat cuneos, inimicaq. ſigna premebat
Vi ſuperans, quamuis crebris maria alta procellis
Secum hyemes, Euroſq. trahens, & nubila perflans,
Verberat Orion, fluctusq. illidit arenis.
Quem duo ſectati uaria in certamina fratres
Iuncti animis ambo, cognato ſanguine iuncti,
Romulidæ proceres per barbara tela, per ignes
Irrumpunt, Martemq. acuunt, ſpolijsq. ſuperbis
Sæpe ſuam decorant ingenti mole Columnam;
Ceu quondam Oebalias ſoliti ductare cohortes
Tyndaridæ aduerſo ſpoliabant milite caſtra,
Inſignes paribus clypeis, quibus aureus enſis,
Et iam tum gemino radiabat ſidere Caſſis
Aurea; puniceæ uolitabant uertice Chriſtæ.

Nunc pharetras, Lyciosq. arcus, perfractaq. tela
Fluctus agit, laceræq. natant in gurgite pinus,
Etiam trunca uirum, diſcerptaq. corpora paſſim
Litoreæ ſectantur aues, proiectaq. paſcunt
Viſcera, & effuſo latè rubet unda cruore.
Atque aliquis, Naupacte tuas dum tendit ad oras,
Et pugnata refert ſacris noua bella ſub armis,
Dumq. peregrina legit Actia litora pinu,
Ecce, ait, hinc pugnas iterum proſpexit Apollo,
Biſq. triumphatis Aegyptia ſigna carinis.
Sic ait: & celeri percurrit Echinadas aura.
Defer ad extremas uictricia nomina gentes
Fama nouas memorans pugnas, partoſq. triumphos,
Quæ uetera heroum obſcuris monumenta ſepulcris
Subtrahis, æterniſq. Duces interſeris aſtris.
Dic actos in bella uiros ſocia arma ferentes
Hiſpanos Venetoſq. intermixtoſq. Quirites
Nunc primum Ionio in magno iunxiſſe carinas:
At contra Euboicas ſumma in certamina claſſes,
Mentitoſq. Deos, uireſq. Orientis agentem
Regem Aſiæ, domitum, tremefactaq. ſaxa Capharei.
Scilicet hoc dudum precibus uotiſq. petiſti
Sancte heros, qui ſceptra Dei ſedemq. tueris
Idem aperis, idem cœli penetralia claudis.
Dum tu neglecta pro relligione laboras,
Et Vaticanas toties proſtratus ad aras
Sacra facis, ſanctasq. uocas in fœdera gentes;
Iordanemq. iubes, Solymaſq. repoſcere ſedes,
Atque implacatæ ſuperare Propontidis oras.
Salue

Salue operum tantorum auctor, qui numina nobis
Concilias, & diu tuis paris otia terris.
At tibi Dux Venetum, nunc alter ab Hercule magno
Qui grauidam colubris Hydram, qui Thracia mõſtra,
Exſuperas, iterumq. Acheloia cornua frangis,
Quando etiam maiora manent, ſuperanda Propontis,
Rhœtæiq. ſimus, proauitaq. regna petenda.
Iamq. tuis Rhodos, & Salamis, Naxoſq. receptæ
Accedent titulis: & iam concuſſa tumultu
Mygdonia, & triſtes expauit Achaia pugnas.
Te celſi iuga Taygeti, te frigida Tempe,
Aoniumq. uocat nemus, & Permeſſides undæ,
Et tua Pieriæ reſponſant nomina ſiluæ.
Tempus erit, cum rapta ſacris ſolatia Muſis
Reſtitues, fonteſq. ſuos, ſuaq. antra recludes,
Hunc dira illuuie, & ſilueſtribus obſita dumis,
Et ſua iam profugi recinent ad flumina cycni.
Hinc & ad æquoream uictor prouectus Ioppem
Antiquas Solymorum arces, & ſceptra repoſces
Auſoniæ Imperio, ac Romanis debita regnis:
Et tibi Carmeli rupes, tibi plaudet Idume,
Et tibi creſcentes ſurgent ad ſidera palmæ.
O ſacræ Libani ualles, ò palmifer Hermon
En erit, ut ueſtros liceat penetrare receſſus?
En erit, ut Syrias luſtrans pius hoſpes arenas
Cœlicolum ſignata legam ueſtigia plantis?
Bethlemiæq. domus ſupplex ſacraria uiſam?
Et propiora Dei cunabula pronus adorem?
Felices properate citis decurſibus anni,

Concordesq. iterum fatalibus aurea penſis
Sæcla neant Parcæ, meq. hæc ad uota reſeruent.
Aſpice, dum properant alios tibi fata triumphos,
Vt maria, ut tellus nobis, ut largior æther
Rideat, & nitido oſtentet noua ſidera cęlo,
Illuſtres animas, quæ prodiga pectora uitæ
Auſæ omnes, dum fata dabant, hoſtilibus armis
Obijcere, & letum pro religione paciſci,
Has ſedes peperere ſibi, quà lactea fulget
Orbita, & æterni candent faſtigia mundi,
Et modò pacatis diffundunt gaudia terris.

Eiuſdem,

AD DOMINICVM VENERIVM. P. V.

P*Lene Deo uates, atauis heroibus orte*
Elargita ſuũ quibus eſt Venus aurea nomẽ,
Dum Tuſcæ clangore tubæ, dum fulmine linguæ
Irruis in pauidos ueluti facto agmine Thracas,
Et noua pugnantes armas in pręlia muſas
Trans Solymos fines, ultra cunabula Nili,
Effugit extremos Aſiæ regnator ad Indos.
Et pernicis equi fodiens calcaribus armos
Fertur in occultas per inhoſpita luſtra latebras.
Namq. audita tuæ magis ille tonitrua uocis
Perditus horreſcit, quàm cum uictricibus armis
Terge-

Tergemini heroes, tria lucida fulgura Martis,
Aſſyriam uaſto ſtrauere in gurgite claſſem:
Naupacto mirante ſui fracta agmina Regis,
Et per ſanguineos enare cadauera fluctus,
Tercentumq. trahi captas ad litora puppes.
Dijs inuiſe Selim, Stygij ſate ſeminē Ditis,
Te nimis audentem ſi terruit horrida clades,
Cui ſimilem longæua ætas non uidit auorum,
Poſtera nec forſan ſpectabunt ſæcla nepotum,
Nunc te alius terror, nunc te cura acrior angat.
Adriaci tecum certabit Muſa poetæ,
Donec onus cęli dorſo tolerauerit Atlas.

ACHILLIS STATII
EVCHARISTICON.

QVAS dicā, meritis nō eſt par copia, grates,
Aut quibus accumulē ſupplex altaria donis
Digna ferēs, lętuſq. tuas quo carmine laudes
Concelebrē nunc ò magni regnator Olympi,
O ſcelerum totiens noſtrorum oblite, tuiq.
O patrij immemores totiens memor inter amoris:
Cumq. iterum ad ſummum uictorum uenerit error,
Et quos non decuit, maculis infecerit atris,
Tu tamen haud iterum ruptis ferus imbribus alto
Sordibus infeſtam illuuiem demittis aquarum;

Sed magni precibuſq. Pij, precibuſq; piorum
Paucorum, immeritis largiris munera uictus,
Totq. mala exuperans cumulus pietatis inundat.
Ibat ouans ſpolijs, & præda uictor opima
Barbarus, atque ſuæ captiuo remige claſſis
Pellebat uada ſalſa, tuis pater Adria totis
Litoribus ſimul inſultans, dum multus utrinque
Seruitio abductus tuus (ah dolor) accola triſtis
Notæ tecta domus cedentia reſpicit, atque
Dulce nemus longè, ſuaq. arua, ſuoſq. labores
Suſpirans, uitem aprico flet colle relinqui.
Ecce autem apparent fœdæ ueſtigia flammæ,
Et nuper nemoroſæ iniuria facta Zacyntho.
Hac rueret noſtras cum perfida claſſis in oras,
Iamq. Corinthiacus lætam ſinus excipit, Vrbes
Vicinæ plauſere ſuis, Naupactos amicum
Litus, & hoſpitio non unam præbuit aulam.
Dumq. fouet reducem, dum raptor puppibus altis
Heſperias oſtentat opes, prædamq. carinis
Confertam Iſmarijs, furtiuumq. explicat aurum;
Dum munerat captos, & ferrea uincula captis
Inijcit, & remis longo adligat ordine uictos,
Helleſpontiaco ſpectacula grata Tyranno:
Auſtriacus triplicis ductor per cærula claſſis
Improuiſus adeſt uentoq. æſtuq. ſecundo.
Namq. unum in triplici uenerantes numine numen
Sacrorumq. pater Pius, & rex ipſe Philippus,
Et Veneti, quos nempe recens dolor attigit, unum
Vnanimes legere Ducem, cui credita rerum

Summa, Ducesq. alij ac iuſſi parere magiſtri.
Nec tamen Iſmariæ ceſſit fiducia genti:
Quum procul aſpiciens inimicæ inſignia claſſis,
Oblatamq. putans æquo ſibi in æquore prædam,
Congreditur; ſubeunt Veneti diſcrimina primi.
Nam quas maiores uocitant de more triremes,
Sex primum infeſtæ lunatis cornibus ibant,
Inde aliæ atque aliæ numero quoque ordine iuſſæ.
Quas ubi confertas audere ac tendere uidit,
Et trepidare metu, atque animis cadere incipit hoſtis,
Et dominos in ſe ſeruum genus horret euntes.
At noſtri, quos armarat fiducia Chriſti,
Perq. preces, & per confeſſa piacula paſſim,
Pax magni quæſita Dei, uadunt ſolida ui.
Fit ſonitus, cœlum horribili tonat omne fragore,
Tormentisq. atriſq. ardet procul ignibus æther.
Non umquam irato ceciderunt fulmina cœlo
Plura, nec auditæ totiens per inane ruinæ.
Itur in aduerſos iam ſtricto cominus enſe:
Hortatur ſimul ipſe ſuos dux barbarus, illi
Vix tandem reuocant animos, atque arma retractant
Omne genus, denſo fundunt & ſpicula nimbo,
Rem propiuſq. gerunt, & puppes puppibus hærent,
Miſcenturq. uiri, fitq. ingens undiq. cædes.
Purpureo latè pelagus rubet omne cruore.
Dat uictus ſupplexq. manus, colloq. catenas
Accipit, & longo tandem certamine cedit
Barbarus. En prædas, en ſpes, & inania uota
Alme pater; laus, & ſunt hæc tua dona: fatemur.

Sed tua ſint facito propria hæc ut dona, tuiſq.
Muneribus dignos præſta: & quo ſpiritus almus
Teq. tuo, natumq. tuum tibi iungit amore
Diuinum inſpirans animis concordibus ignem,
Tres illos uno deuinciat unus amore,
Auſtriacoq. uno duce gens non una trophæis
Accedat crucis, & totus tibi ſeruiat orbis.

Ioannis Verzosae.

Non huic antè parem Auſtriade, ſimilemve uidere
Maiores potuere diem; te tanta manebat
Gloria: te deſignabant oracula cuncta.
O Mauris Turciſq. pauor, ter digne parente,
Fratre idem ter digne tuo? perge ire, nec ullum
Diſcrimen metuat tua uirtus: te pia ſeruant
Quinti uota Pij: pro te uox ſancta diurnas,
Nocturnaſq. preces non intermiſſa profundit,
Pompa Sacerdotum pro te delubra frequentat:
Aethereis pro te panis demiſſus ab oris
Sanguine cum dio per ſacras ſumitur aras.
Hæc ſæclis non uiſa ullis, audita nec ullis
Præcipuos etiam uictoria poſcit honores;
Solenni memores ritu celebretur in annos.
Te ſolido paſſim Heſperij geſtemus in auro:
O nimium læto nobis ſub ſidere nate

Carolide,

Carolide; tua nos, reliquoſq. oblectet imago.
Raro marmorei, & uultus ponantur aheni
Victori: qui uincendum nihil æquore toto
Liquiſti: referas partum uirtute tuapte
Nomen; & hanc pugnam naualem pingat in aula
Regum docta manus. Claſſes ut prouidus omnes
Inuectus luſtras cymba: atque accendis in hoſtem;
Et tua dimittis ducendi munia Chriſto:
Et miles certamen inis ductore ſub ipſo.
Has captas, illas ſubmerſas fluctibus, illas
Detruſas ſcopulis, inflammatasve carinas,
Tercentum: ſexta uix ſalua parte: ſolutos
Biſſenos mille è u inclis gentiſq. nefandæ
Vnda, terdenos igni ferroq., peremptos.
Nam quia ſumma Deo tradis, tibi parua relicta
Præda fuit, ducenda tuis captiua triumphis.
Scuta haſtæq. natent, & plurima corpora circum
Ambracius ſinus hinc; illinc Criſſeus: & amplis
In ſpatijs Ithace, Cephalene, & Echinades: atrum
Sit Mare: ſit piceis infecta uaporibus aura.
O illi, duce te qui pugnauere, uiamq.
Ad uitam ſtrauere ſua ſibi morte, beati
Athletæ Chriſti donati munere cæli
Maturo: felix ò dein quicunque ſuperſtes
Lætitiam hanc communem oculis mortalibus haurit,
Et parui fructum ingentem capit ille laboris.
Fœlices Nonæ Octobris, lux alma, repentè
Quæ cæcas tenebras tàm claro lumine, mutas.
Fœderis ò magni proceres, Pius atque Philippus,

Et Mocenicus, fęlices, quos docet auctor
Vincendi ueſtris poſſe hoſtem occumbere telis,
Si coit, & ſtat firmus amor, ſi gratia durat.
At tu, qui uotis, & ſpe miracula genti
Plura tuæ, & maiora edis dulcisſime Ieſu,
Offenſus noſtris non ullo tempore culpis
Confirmes, & des uti uictricibus armis.

De uictoria Chriſtianæ Claſſis Carmen

Gulielmi Modicii Monteferratensis.

*S*Vrge *age Calliope magni Iouis inclyta proles,*
Dulce decus rerũ; quæ mulcẽs æthera cãtu,
Dona deũ celebras, & fortia facta uirorũ.
Tende Chelym: uocesq. ſono coniunge canoras,
Magna fero: magna nobis nunc uoce ſonandum.
Nunc hymnis opus, & cantu: nunc dicere grates
Fas eſt cælitibus: quorum clementia gentis
Vota piæ, gemituſq. polo reſpexit ab alto:
Quorum ope Chriſticolæ nuper concordibus armis,
Pontificiſq. Pij diuino fędere iuncti,
Exarſere animis: inq. aſpera bella ruentes,
Iſmarij claſſem numero ſuperante Tyranni
Diſiecere mari toto: Neptuniaq: arua,

Cæde

Cæde noua late hoſtili infecere cruore.

Aeternum ſupplex mecum uenerata parentem,
Suſpice Muſa polum: & cæleſtes incipe cantus.
Dicendus Pater in primis: qui condidit orbem
Ex nihilo, ſapiens, ſine fine, bonuſq., potenſq.:
Filius & Patri conſors: qui lapſus ab alto
Aethere, mortales pretioſo ſanguine culpas
Lauit: & in ligno crudeli morte pependit
Noſter amor, noſtri generis reparator IESVS.
Spiritui ſua laus almo tribuenda: piorum
Afflatu dulci qui corda illuſtrat, & unit.
Virgo etiam dicenda parens, tutela reorum:
Quæ ſupplex hominum lapſus miſerata, uerendi
Iudicis à nobis pœnas auertit, & iras:
Et Petrus ille Simon: audita uoce Magiſtri,
Retia qui celerans, pelaguſq., ratemq. reliquit:
Commiſſas qui pauit oues abeunte magiſtro:
Arbiter & cœli claues qui geſſit, & orci.

Dij ſuperi laus omnis, honos, & gloria uobis,
Et cantus, feſtiq. dies debentur; agendæ
Sunt uobis grates, adolendaq. thura per aras.
Gens pia, gens uerax, ſancto perfuſa lauacro,
Preſſa malis, fœdiſq. diu iactata procellis,
Numine iam tandem ueſtro, & cæleſtibus auris
Læta reuiuiſcit: recolens decora alta parentum,
Virtutem antiquam & priſcas reminiſcitur artes.
Irritata minis Getici, & feritate Tyranni,
Qui ferro fines late populatur, & igni:
Humano ſedare ſitim qui ſanguine geſtit:

Vltro

Vltro hoſtem petit: & iuſtas ulciſcitur iras.
Rex hominum, paſtorq. Pius, Chriſtiq. ſacerdos,
Puppe ſedens, clauumq. tenens, in fœdera reges
Aduocat: & grauibus iubet occurſare periclis.
Accedit ſocius: laudataq. fœdera ſancit,
Inuicti proles Caroli generoſa, Philippus:
Cui parent noſtrum latiſſima regna per orbem:
Alter & Oceani ſpatijs immanibus orbis
Secluſus: pendunt cui uectigalia linguis
Antipodes uarijs, alio Phaethonte calentes.
Hinc Veneti iurant in fędera: quos dolor ingens
Exacuit: iuſtaſq. recens accendit in iras
Fœdifragi furor, atque iniuria ſæua Tyranni,
Exciſam ob Cyprum flamma, ferroq. nefando.
Nec mora. roſtratæ paſſim naualibus altis
Deductæ naues pronum labuntur in æquor.
Litoribus nautæ cunctis glomerantur; & acres
Exercent curas: operiq. incumbere certant.
Milleq. ſternuntur magnis freta lata carinis.
Conueniunt proceres, & capta cupidine Martis,
Auſpicibus confiſa Deis, generoſa iuuentus.
Illinc Hiſpani ripis undantis Iberi,
Atque Tago miſſi: quos primo flore iuuentæ
Auſtrius aſperſus prima lanugine malas
Ducit Ioannes Carolo ſatus, atque Philippo
Fratre potens: belli cui credita ſumma poteſtas,
Maurorum clarus ſpolijs, & Marte ſecundo.
Ad læuam comes incedit Præfectus Iberæ
Vir magnus claſſi, rubra cruce pectus honeſtum
Oſtentans,

Oſtentans, ſacriq. gerens decus ordinis ingens.
Litora cum primum tetigere Liguſtica: magno
Ductori occurrunt, ueluti duo ſidera: quales
Tyndaridæ cælo fulgent: hinc Feltrius heros,
Hinc & Alexander Farneſius, inclyta regum
Magnorum ſoboles: quem lætus auunculus ulnis
Excipit, amplexuq. premens, atque oſcula libans.
Occurrunt Ligures læti: quos Auria ducit
Andreas: illo non arua peritior alter
Neptuni ratibus findit uictricibus. ille
Prædonum terror, uindex acerrimus alti
Aequoris, haudquaquam laudes oblitus auorum.
Iordanus properat Tuſco de litore Paulus,
Oſtentans latos humeros, pulcherrimus ore,
Atque Duci magno gener additus, & decus ingens
Vrſinæ gentis. Campano litore ſurgens
Parthenope regum, atque ducũ domus inclyta, portis
Omnibus effundit fulgentes ære cateruas.
Ter denæ implentur generoſe milite puppes:
In quibus & Calabri furibundi Martis alumni.
Litoribus Siculis iampridem ſtabat in armis
Marcus auis, atauisq. potens Antonius, ingens
Aeneadum decus, & gentis ſpes fida Columnæ:
Romanæ ductor claſsis: gentiſq. Latinæ,
Conſilio præſtans, inuictus robore dextræ:
Caſibus aduerſis prima ueniente iuuenta,
Qui didicit belli duros perferre labores,
Fortunæq. truces non exhorreſcere vultus.
Vt catulus fului Maſſyla per arua leonis,

Dura

Dura pati diſcit uento pulſatus, & imbri.
Pontifici rebus ſolida uirtute gerendis
Spectatus pridem: qui ſæua in bella Quirites
Duceret: & claſsi magna ditione præeſſet.
Dux pius Allobrogum cauſæ communis amator,
Quatuor inſtructas Alpino milite naues
Miſerat extremis in Turcica bella paratas
Finibus Italiæ, ueteriſq. ex arce Monœci:
Haud procul unde caput uiridanti fronde reuinctum
Attollit pater Eridanus: qui ſuſpicit Alpes
Vertice tendentes conuexa ſub aſtra niuali.
Implentur Siculis numero bis quinque carinæ:
Quos Meſſana genus Martis, quos clara Panormus
Miſit, & excelſo gens circumiecta Pachyno.
Priuatis opibus multi duxere triremes:
Quos pietas, ſplendorq. domus, quos inclyta uirtus
Impulit in partem tanti properare pericli.
Magnanimi ſaluete uiri, res publica uobis,
Et decus Italiæ, pietas ſuper omnia cælo
Debita, cara fuit. ſemper laus ueſtra manebit,
Semper honos animo fixus, mentiq. piorum.
Noſtra ſalus manibus ueſtris adiuta, Deorum
Munere certa manet. magni uenere magiſtri
Poſt hos inſtructæ Melitenſi milite naues
Exiguæ numero, ſed robore pluribus æquæ.
Adriacas findes undas, atque æquoris oram
Illyrici relegens, & uentis acta ſecundis
Procedit Venetum claſsis pulcherrima, longo
Ordine, diues opum: qua non inſtructior unquam

Altera ſulcauit proris ſtridentibus æquor.
Ductores lecti celſis in puppibus aſtant,
Naui quiſq. ſua, ferroq. auroq. nitentes.
Oſtentant uires, & ſæui Martis amorem.
Indutus trabeam ſignis, auroq. rigentem,
Regifico cultu proceres ſupereminet omnes,
Et ſæuis effert ſeſe Venereius in armis,
Imperijs pridem, magnis & honoribus uſus,
Canicie longa uenerabilis, ore rubenti
Viuidus, atq. ferox: non illi longa ſenectus,
Vim dextræ, aut animi ualuit mutare uigorem:
Conſilio, linguaq. potens, rerumq. peritus:
Cui patriæ decus, & belli commiſſa poteſtas.
Ille crucem, fixumq. Deum ſummiſſus adorat,
Pontificis, gentiſq. piæ uenerabile ſignum,
Ductorem ſummum, ſocioſq. exinde ſalutat.
Lætitia exoritur, ſummum ferit æthera clamor.
Lætificis longum reſonant freta cærula bombis.
Tum uero admirans numerum, ſtupet Auſtrius heros
Turritas puppes, nec non latera ardua cernens
Tormentis (uiſu horrendum) muralibus apta:
Qualia Vulcanus procudit fulmina magni
Cum dextram Iouis armat in horrida bella Gigantum.
Dant ſonitum, ſciſſa ceu nube tonitrua uaſto
Murmure terrificant trepidis mortalibus aures.
Corda pauore tremunt; latebras genus omne ferarum
Quæritat aufugiens; immani turbine turres
Diſiectæ ad terram ingentem traxere ruinam.
Oppida tot pelago credas innare, tot arces,

Totq.

Totq. impoſta iugis uento caſtella moueri.
Has moles cernens, hæc propugnacula miles,
Concipit ingentes animos: atque appetit hoſtem.
Imperat actutum dux ordine caſtra moueri
Auſtrius: ac pugnam iubet expectare paratos.
Curua legunt alacres Corcyræ litora: mox &
Actia Romanis gratisſima litora priſcis.
Accelerant, portuſq. petunt, & tecta Zacynthi.
Barbarus interea ductor, cui Turcica paret
Clasſis, & innumeræ gentes, terraq., mariq.:
Illyricos fines ferro populatus, & igni,
Terrorem ancipitem Latijs incuſſerat aruis,
Heſperios temnens reges, populoſq. Latinos
Conuerſos in ſeſe odio, ac diſcordibus armis
Perniciemq. ſibi per mutua damna ferentes;
Aſt ubi iam rebus prædo in contraria uerſis
Fœdere concordes, animisq. in bella paratis
Aduentare uidet: trepidus loca tuta requirit
Mœnibus Aetolis clauſus, portuq. ſinuq.
Fluctuat ancipiti diſtractus corda timore:
An fugiat metuensq. famem, ſtragemq. ſuorum:
An pugnet ſtolidi metuens fera iuſſa Tyranni:
Qui procul à talis: ſtupris uetitoq. Lyæo
Languidus, eructat triſtes male ſobrius iras:
Atq. ſuis ducibus laqueosq. ſudesq. minatur:
Ni captos referant hoſtes, mergantue profundo.
Deniq. ſtat conferre manum, mediosq. per hoſtes
Aut aperire uiam ferro, aut occumbere morti.
Ter centum educit naues: pugnamq. capeſſit.
Octobres

Octobres nonas Titan referebat in orbem:
Atq. diem Domino feſtum præclarus agebat:
Cum uigil, atq. oculos intendens Auſtrius heros
Aduentare uidet ſpumoſa per æquora Turcas
Infauſtas lunas aquilis uictricibus ultro,
Atq. ſalutiferis crucibus conferre paratos.
Stans celſa in puppi fuluo ſpectabilis auro,
Et ferro longe flammas uomitante coruſcas,
Flore nitens primo, pulcherrimus ore uerendo:
Qualis erat Phrygij quondam uaſtator Achilles
Agminis: aut Geticis Mauors bellator in aruis:
Qualis item Carolus genitor primoribus annis
Imperij nuper ſumptis inſignibus, oſtro
Indutus, gemmis, auroq. nitente corona:
Sæua uel in Turcas intenderet arma, uel Afros:
Vota Deo ſupplex fundit: dextramq. reflectens,
Et frontem, & pectus ſignat cruce, nomine Patrem,
Teq. uocans Fili compar, te Spiritus alme.
Eſſe, crucem tollens, ductorem claſſis IESVM,
Quo duce fidentem fallat uictoria nunquam;
Prædicat: atq. loco ſe militis eſſe fatetur
Hortatur proceres partes conuerſus in omnes,
Nomine quenq. uocans: ſtimulatq. in prælia pubem.
Pugnandumq. docet pro relligione, ſocisq.,
Pro laude in ferrum, & pro libertate ruendum,
Heſperiæ nunc gentis agi decus, atq. ſalutem.
Clamorem tollunt ſocij CHRISTO *auſpice freti*
Ductorisq. ſui fauſto uerba omine firmant.
Collocat his dictis per cornua bina triremes,

Perq. aciem mediam . à tergo iubet eſſe paratas
Subſidio certas. mandat quod cuiq. gerendum.
His actis addit capiti dux ſæuus, & acer
Horribilem galeam: & ferratam corripit haſtam.
Vndiq. ſigna canunt. naues urgentur in altum.
Adſunt horrifico Turcæ clamore minaces.
Heſperij tendunt contra uentisq. ſecundis,
Auſpicibusq. Deis. propulſant ictibus hoſtem.
Ardeſcunt animis: inimico ſanguine fluctus
Inficiunt. tormenta igni diſploſa, ſonore
Terrifico æratas diffringunt turbine puppes.
Tum fragor auditur: ſonitu maria alta tremiſcunt.
Conditur extemplo picea caligine cælum:
Et geminans longis reſonat mugitibus æther.
Horribiles ſonitus circum, dirosq. fragores
Contremuit Calydon, Naupactus, & alta Corinthus.
Et terris fugere feræ, & pecus omne ſub undis.
Exacuens iras medio Mars agmine ſæuit.
Multa cadunt paſſim bellantum corpora. primi
Excipiunt hoſtem Veneti (nam cura ſiniſtri
obtigit his cornu) pugnant fortiſsima bello
Pectora: nec dubitant animas profundere pulchris
Vulneribus: redimant ut honeſta morte ſalutem
Dilectæ patriæ: cui barbarus imminet hoſtis.
Plurimus his labor, & pondus graue Martis iniqui
Incubuit. primos aditus tamen ilicet armis
Illuſtres rupere uiri, ſtragemq. dedere.
Morte horum egregia, multo uelut empta cruore,
Oſtentare caput placidum uictoria cœpit.
Quem

Quem pigeat non ingratum meminiſſe uirorum,
Qui ducente Deo, uotis, precibusq. piorum,
Litoribus noſtris ſæuo impendente Tyranno,
Sanguine communem fuſo adiuuere ſalutem?
Dum Veneti Turcis læua de parte reſiſtunt:
Nube ſagittarum, & plumbi per inane uolantis
Grandine, telorum necnon ſtridente procella,
Obruitur, quiſquis fortiſſimus audet in hoſtem
Longius à ſocijs peruadere: maximus armis
Tum Barbadicus ſtimulis agitatus amaris,
Impatiensq. moræ, præ cunctis poſcit honorem
Hunc ſibi conſertæ pugnæ, primiq. laboris,
Magnus, & à primo ductor ductore ſecundus,
Prouiſor claſſis patrio ſermone uocatus,
Maximus in caſtris ueluti ſub rege Tribunus.
Tum quinquaginta roſtris ingentibus aptæ
Huic parent naues ſancto mandante Senatu.
Præmia remigibus ſpondet. iubet ordine certo
Nauarchos, ſociosq. ſequi. facto agmine proram
Dirigit in Turcas uiolentus. turbine magno
Campſani perculſa ratis demergitur undis.
Bis centum Rhodij, cœptæ magno omine pugnæ
Fluctibus abſorpti fundo uoluntatur in imo.
Ductores Veneti cunctis è partibus adſunt.
Conſeritur proris proras urgentibus, atrox
Pugna. ruunt fortes in mutua uulnera. Solem
Denſius obſcurant uolitantia tela per auras,
Perculit heu pennis allapſa ſagitta Tribunum,
Per caput acta ſenis. letali uulnere uictus

Corruit in tergum. lapſum traxere miniſtri.
Ille manus inter medicas, dum uellere ferrum
Infixum, & fluidos trepidant ſiccare cruores:
Defectum caput attollit clamore ſuorum
Excitus leto: quibus & uictoria ceſſit:
Et prior, ac maior tantarum gloria rerum.
(Nam calor huic aliquot manſit uitalis in horas)
Laudauitq. Deos, oculisq. natantibus hauſit
Lætitiam. mors uiſa ſeni iucunda: triumpho
Victricem patriam tanto qui linqueret auctam.
Inſons mox anima, & nullius conſcia culpæ,
Non ſecus atque rei properaret nuncia tantæ:
Voce Deum, diuosq. uocans ſuper aſtra uolauit.
Vertitur ingenti pinu per cærula uectus
Andreas animum turbatus morte propinqui.
Hunc cupit ulciſci Turcis immiſtus. acerbis
Indulgentem odijs, & prœlia ſæua gerentem,
Opprimit illabens à uertice ferreus imber,
Concidit & Landus medios inuectus in hoſtes,
Aſpera bella mouens, magnis audacius uſus
Viribus. obſeruant Mahumetes Thracius haſtam
Conijcit: & ferro pectus transfigit acuto.
Ille cadit. ſonitum dant ferrea ſuta cadentis.
Viribus Euboicos magnis Caterinus adortus,
Audet in hoſtilem ſeſe demittere nauem:
Mox urente cadit traiectus pectora plumbo.
Concitat in medios nauem Superantius hoſtes;
Multaq. dat leto Turcarum corpora: multos
Præcipites agit in fluctus, haud morte ſuorum
Territus,

Territus, aſt longe uiolentior excitus ira.
Dum furit, & ſtragem toto ciet æquore: fractus
Turbine tormenti uitam exhalauit in undis.
Tum duo ductores inuicti robore, ſiqua
Inclyta tormentis uirtus muralibus obſtet:
Hortati ſocios Hieronymus, atque Marinus,
Lux Contarenæ clariſſima gentis uterq.,
Nauibus impulſis numeroſo remige, Turcas
Inuadunt: totoq. ferunt fera prælia ponto.
Diſiecti cecidere pilis: quas turbine uaſto
Machina longa uomit referens ex ære canales,
Sulfure contrito, rapidisq. incenſa fauillis.
Cum Lauretano Bonus, & Paſcalius armis
Inclytus, & clara cumulatus laude Quirinus,
Naui quiſq. ſua remis ferientibus æquor,
Turcarum inuadunt magna uirtute triremes.
Turbatos agitant, ac multa cæde repellunt:
Et cogunt longe decedere terq. quaterq..
Fidentes numero, & ſæuis ululatibus hoſtes
Eminus hos, magnamq. manum per tranſtra uirorum
Et plumbo, & baccis, & contriuere ſagittis.
Illuſtres genere, & præſtanti corpore fratres
Quattuor ante aciem, ſoboles Cornelia, primam
Pugnauere pares animis, & robore: diſpar
Vix fuit his ætas paucis diſtinctior annis.
Omnibus unus amor fuit: & concordia felix.
Quattuor in bellum germani uiribus ibant
Coniunctis animoſa phalanx, ſtragemq. ciebant:
Effera uis Martis raperet quocumque furentes,

Quattuor unadies uno certamine fratres
Abſtulit: & matri ſolatia bina reliquit,
Egregiam mortem, atque æternæ præmia uitæ.
Vnum ſe patriæ dixit genuiſſe lacæna
Accipiens mater pugnantis ſunera nati.
Quattuor hæc patriæ natos largita, daturam
Se plures dixit: ſi pignora plura tuliſſet.
Præterea plures duro in certamine paſſim,
Dicere quos fuerit longum, & miſerabile cunctos,
Egregij cecidere uiri, proceresq., ducesq.
Horribiles inter ſtrepitus, dirumq. fragorem,
Et reſonante mari, & ſæuo turbante tumultu,
Conati patriæ inſtantem depellere peſtem,
Pectoribus uerſis, & honeſta morte cadentes.
Vicit amor patriæ, ne quem ſudiſſe pigeret
Pro templis animam, & pro libertate parentum.
Illuſtres, forteſq. animæ, uos nulla ſilebit
Poſteritas; longum ſama uiuetis in æuum.
In patria, medioq. foro, templisq. deorum
Nomina marmoribus per ſæcula, ueſtra legentur.
Non tamen idcirco proceres, quicunque ſuperſunt
Non reliqui ciues conſpecta morte ſuorum,
Demittunt animos: quin & ſtimulantur in iras:
Eſſe nec illuſtres ſocios patiuntur inultos.
Viribus attritis ſæuo cadit impetus hoſti.
Audentes Veneti renouata in prœlia tendunt.
Nam uolat excelſa Venereius puppe per agmen
Sublimi patrium, bello dux optimus idem,
Pugnatorq. manu fortiſſimus. omnis in illo

Spes hæſit patriæ tanto diſcrimine rerum.
Prouidus intentis oculis rem proſpicit omnem:
Hortatur ſocios. animum bellantibus addit.
Commemorat paucis ueterum decora alta parentum:
Ingentes claſſes per cærula cuncta uagatas,
Edomitos longe populos Orientis ad oras,
Auditum Bactris Venetorum nomen & Indis,
Sæpius & fuſo partos ex hoſte triumphos,
Imperium pelagi per ſæcula longa retentum:
Vrbem marmoream regum ſedem, atque deorum,
Italiæ decus eximium, portum, atque ſalutem
Gentibus expoſitam, ſacramq. extorribus aram,
Perſugium miſeris, morum, uitæq. magiſtram,
Lucem hominum ſummam, terrarum inſigne theatrū.
Ciuibus hanc patriam uel certa morte tuendam.
Incuſat reſides. uerbis exſuſcitat iras.
Ille laborantes reficit. citus ille labantem
Subſidijs aciem firmat. iubet ire triremes
Ante aciem primam: cernit quaſcumque recentes:
Et laceras retrahi poſtremum mandat in agmem,
Virtutem turbæ patitur ſuccumbere nuſquam.
Pugnat & ipſe manu, neruo ſtridente ſagittas
Contorquens ferit aduerſos: obſtantia paſſim
Corpora dat leto: concuſſas mole carinas
Vaſtat: & auertit trepidum terroribus hoſtem.
Increpitans Turcas dictis compellat amaris.
Infidos uocat, atque Deis cęleſtibus hoſtes,
Inuiſam ſtirpem, quæ rapto gaudeat: & quæ
Gaudeat humanum ſitiens haurire cruorem:

Ignauum, ſeruumq. pecus, probroſa Selimi
Mancipia, expertes legum, ſine more, ferarum
Degentes uitam: quos ferro excindere fas ſit.
Aduenisſe diem, populus quo concidat omnis:
Eſſe mare, ac terras ſcelerata gente leuandas.
Fędifragum uotis exoptat adeſſe Tyrannum,
Illius & rigido præcordia rumpere ferro,
Atque informe ſolo pedibus calcare cadauer,
Et monſtrum infelix iunctis raptare quadrigis.
Incipiunt Turcæ quaſſas inhibere carinas,
Atque referre pedem. conceptum corde pauorem
Arguit inconſtans, & raucus clamor ad auras.
Hos agitans læuo Venereius in agmine ſæuit.
Andreas dextro in cornu fera prœlia miſcet
Aurius: & partes late circunſpicit omnes,
Egregias ualidis adiungens uiribus artes.
Agmine tum medio uarius labor extitit; acrem
Virtutem exercent late iuuenesq., ducesq..
Romanus ductor non ſegnius hoſtibus inſtat.
Hortatus ſocios centeno remige pinum
Vrget in aduerſos: immani turbine Thracum
Icta ratis medijs depreſſa immergitur undis,
Terga Getæ trepidi uertere. Columnius heros
Fraxineam quatiens haſtam trepidantibus inſtat.
Corpora multa uirum rubras deturbat in undas.
Tum puer egregia præſtans uirtute Michael,
Ante annos graue Martis opus, durumq. laborem
Haudquaquam ueritus, telum contorquet in hoſtem:
Quem belli cupidum diuinus auunculus ante
Iuſſerat

Iuſſerat audentem pugnare, & fidere diuis.
Huic conſanguineus præſtanti robore Paulus,
Iampridem bello ſpectatus, maior & annis,
Luxq. , nouumq. decus Ghiſileri nominis, una
Sancto ſpes patruo prodendæ gentis in æuum:
Cominus in Turcas fertur uiolentus: & haſta
Proterit obſtantes ingenti ſtrage cateruas.
Magnanimum Turcæ falcatis enſibus hoſtem
Excipiunt, ſummis adnixi uiribus, acrem
Si uim forte queant, tantamq. repellere molem.
Non illum cohibent iam uulnera terna furentem.
Negligit undantem per candida membra cruorem;
Ac magis ardeſcit: trepidos magis obterit hoſtes,
Turcarum magnis ſua uulnera cædibus ultus.
Vt leo pro catulis uenantum diſſipat agmen:
Cui cruor effuſus per pectora lata, iubasq.
Maiores animos, maiores ſuſcitat iras.
Parmenſis Princeps proles Farneſia, Dacos
Tendit in aduerſos: & corpora turbat in æquor.
Illi par æuo Princeps, & ſanguine iunctus
Bella mouet, ſtragemq. ciet Duce natus ab Vmbro.
Hoſtilem in nauem ſaltu ſe conijcit ingens
Iordanus: gladiumq. rotans per tranſtra, foroſq.
Corpora dat leto uaſta implens cæde carinam.
Emicat ante alios rapido uelocior Euro,
Fulminis in morem: cui non uis ulla reſiſtat;
Non ferrum, aut moles ſaxo ſubſtructa uetuſto:
Tuſca ratis: quæ prima trium fert puppe ſub auras
Erectum Stephani uexillum: quem fera ſaxis

Diſcipulum Chriſti Solymorum turba furore
Percita contuſum cæleſtes miſit ad oras.
Turcarum primas acies Etruſca iuuentus,
Pectora cui longe fulgent cruce picta rubenti:
Diſiecit, ſtragemq. dedit toto æquore, magni
Non oblita Ducis pulcherrima iuſſa: coactam
Mitteret in bellum cum pubem, cumq. iuberet
Florentis populi ueteres meminiſſe triumphos,
Et patriæ retinere decus, laudeſq. parentum.
Sfortia roſtratam prægrandi corpore nauem
Concitat in Cilicas remis findentibus æquor,
Conſilio dextraq. potens florentibus armis.
Pugnaces Siculi, ſimul & Campana iuuentus,
Et Calabri genus acre uirum per cærula uaſtam
Dant ſtragem; Geticas urgent, franguntq. carinas.
Durior Alpinos ſocios fortuna fatigat.
Vndiq. Turcarum numero maiore premuntur.
Non tamen ijs animus cadit, aut in terga recedit.
Opponunt clypeos: denſum glomerantur in orbem.
Hortantur ſeſe: & ſolida uirtute reſiſtunt.
Subueniunt Ligures. Turcis metus ingruit: inſtant
Acrius Alpini: & flammas ſpirare uidentur:
Vnius amiſſæ ſtimulant quos damna carinæ:
Nec trepidum telis urgere ſequacibus hoſtem
Abſiſtunt: geminas immani corpore donec
Turcarum naues uentoſa ſub æquora mittant:
Et cladem acceptam geminata clade rependant.
Aſinius, Chabriaſq. duces iam tempora canis
Aſperſi pugnant, hos ſueti ferre labores:

Exemploq.

Exemploq. ſuo iuuenilia pectora firmant.
Pompeius, Proſperq. inuicti robore fratres,
Et Parauicinus numero obrutus, & rate capta,
Per medios hoſtes auſus ſe credere ponto,
Atq. animo præſtans, & pulchro corpore Pyrrhus,
Induit & ferro quos non incognita Muſis
Brixia: quam decorat meus alto Gambara uerſu:
Gonzagæ proceres, & tuſci Marte feroces,
Inſubrum longis ſoboles exercita bellis,
Felſinei iuuenes, & pubes miſſa Tridento,
Italiæ lectum robur, flos lectus ab omni,
Et cruce candenti inſignis Melitæa iuuentus:
Quos inter Gallus flagrans Ramagaſus acerbis
In Turcas odijs, Turcarum terror & ingens,
In bellum clamore ruunt. pugna aſpera ſurgit.
Hoſtiles obſtant numero maiore carinæ.
Durati bellis contorquent ſpicula Turcæ,
Cappadoces, Daci, Cares, Cilicesq. Getæq.
Exululant; immane fremunt: cælum omne remugit.
Euentus belli ingentis dum prodere multos
Conor: & attingit uarias mens anxia partes:
Me rapit inuitum Melitenſis caſus: obortæ
Debilitant lacrymæ, mæſto de pectore fractas
Singultus uoces extrudit creber ad auras.
Dicendum tamen eſt: adſit quæcunq. facultas.
Impetus à ſocijs diſtraxit nauibus unam
Cum cruce candenti uexillum in puppe tenentem,
Seu maris Ionij fluctus nimis impulit: auſam
Turcarum in medias remis penetrare carinas.

Agnouere truces Numidæ: quos illa per alta
Aequora prædantes uictrix perſæpe fugarat.
Circunſtant unam naues ter quinq. carinam.
Triginta proceres generoſæ ſtirpis, adeptos
Egregia uirtute crucis candentis honorem,
Et comites centum, quingenti, ac mille prehenſos
Circundant incenſi odijs, memoresq. malorum
Piratæ fremitu horrendo. Melitæa iuuentus
Pondere preſſa graui, tamen imperterrita manſit:
Et pugnam horribilem ternas produxit in horas
Obiectis clypeis conata repellere nubem
Telorum ſæui commiſta grandine plumbi:
Terq. quaterq. furens ingenti cæde repulſos
Diſiecit Numidas, & uertere terga coegit.
Succubuit numero uirtus generoſa ſequaci.
Quin potius uicere uiros ardentia fortes
Fulmina cum bombis, atq. undiq. plurimus ignis.
Interea ſocij non ſubuenere uocati.
Dum reliquos plus parte ſuus labor occupat omnes:
Subſidio caruere uiri. miſerabile dictu.
Ite uiri fortes ad ſidera. regia cæli
Illuſtres animæ uobis patet. ite beatas
Ad ſedes animæ felices. fortibus illic
Aeternam Deus omnipotens dat ferre coronam.
Vobis parta quies eſt ſanguine, parta labore.
Ocyalus caput infandum, contemnere quondam
Auſus iura Dei, & ſanctum abiurare lauacrum,
Faxq. luesq. hominum, ponti pirata, Tyrannus
Maſſylos ditione premens, & claſſe ſuperbus,
Agmine

Agmine poſtremo totis non uiribus uſus,
Rem gerit: & cautus ſua commoda mente uolutans,
Euentum pugnæ puppi ſpeculatur ab alta.
Vrgeri ſocios Turcas ut uidit: in altum
Vela dat: ac uentis conuertit terga ſecundis:
Defenſus tenebris fumi, & caligine cæca.
Inſidumq. ducem naues ter quinq. ſecutæ.
Victores celer eludit: ſociosq. relinquit
Pallidus, atq. tremens, turpi formidine captus.
Vt lupus arma uidens uenantum denſa, canumq.
Horribiles rictus, latratu territus acri
Arua ſecat curſu: & ſiluis ſe condit opacis.
Auſtrius interea ductor, quem regia puppis
Ordine remorum ſepteno concita portat:
Per medias acies fertur ſublimis: & agmen
Vrgeri quacunq. uidet: iubet ire triremes
Subſidio certas, uarijs hortatibus illos,
Nunc hos exacuens. denſos ubi proſpicit hoſtes
Obſtare: intrepidus proram conuertit in illos.
Cæde furens late ſtragem ciet æquore toto.
Hiſpaniq. duces, proceres quos miſit Iberus,
Hiſpalis, Emerita, & Gades, & Corduba, bello
Gens clara Oceano domito uictricibus armis,
Decernunt, lacerantq. rates, ſternuntq. cateruas:
Vincentemq. ducem læto clamore ſequuntur.
Hæc proſpectat Halys: belli cui cura gerendi,
Iusq. datum fuerat ſummum: robuſtus, & acer,
Atq. manu promptus, tantæ non inſcius artis:
Fecerat hunc ſociata toro cognata Tyranni

Clarum

Clarum diuitijs, & pulchra prole parentem.
Heſperium ductorem oculis, animoq. requirit.
Hunc tribus à ſignis noſcit: quæ uentilat aura
Spirantis Boreæ uolitantia. namq. ſiniſtrum
Oſtentat clarum Venetorum inſigne Leonem:
Dextrum Aquilam gemino cum uertice. fulget imago
Inter utrunq. Dei: fixum quem ſuſtinet alta
Crux populi, regisq. Pij uenerabile ſignum.
Nec minus aduerſum noſcit dux Auſtrius illum
Picta tribus Lunis præ ſe uexilla gerentem.
Exarſit ducibus uiolentia ſæua duobus:
Vincendum egregiè, uel pulchra morte cadendum,
Credit uterq. ſimul præclaro ex hoſte trophæum
Nunc ſibi forte dari: nunc famam, nunc decus ingens
Adfore: ſi ſpoliis uictor laudetur opimis.
Concurrunt ſummi ductores, Thracius illinc
Setoſa horrendus facie, iam grandior æuo:
Auſtrius hinc iuuenis leui pulcherimus ore,
Flammam oculis fundens, rigidaq. ferocior haſta.
Impulſæ naues numeroſo remige uaſtos
Dant ictus. proram magna ui prora ſuburget.
Nunc latus incumbit lateri: atque carina carinam
Altior aduerſam ſtringit. reuoluta per undas
Alternis pinum pinus demergere ponto
Tendit: & immani iam uerbere uicta fatiſcit.
Fragmina remorum fluitant agitata per undas.
Sublatus ſummum clamor ferit æthera. bombis
Tormenta horriſonis frangunt excuſſa carinas.
Vndiq. tela uolant. quàm plurima fiſtula ferro
Vel

Vel producta cauo, producta uel ære coruſco,
Pluere ſulſureo, flammaq. incenſa rubenti,
Grandinis in morem glandes per inane uolantes
Liuentis plumbi ſpargit: quo pulſa uirorum
Millia multa cadunt. Sclopum dixere magiſtri
Eductum ſtygijs (ut res docet ipſa) caminis.
Corpora trunca hominum, clypei, galeæq. nitentes,
Thoraces, gladij mixto glomerantur aceruo.
Tormenta ingeminant ictus. tremit ærea puppis.
Percuſſæ crepuere trabes. ruere omnia credas.
Exundat fumus. tum circunfuſa repente
Nox oculis adimit, nec non fragor auribus uſum.
Intrepidi pergunt ultro, quicunq. ſuperſunt:
In mortem haud dubiam, et ſubiecta cadauera calcāt.
In tormenta ruunt: & contra tela feruntur:
Vt feriant hoſtem, ſternantq. ea ſola uoluptas.
Mors, & uita uiris tenui diſcrimine conſtat.
Vulneris accepti uiolentior ira dolorem
Sentiri prohibet: greſſus ne tardet euntis.
Pectora pectoribus, frontes & frontibus hærent.
Vrgetur pede pes, & parmam parma repellit.
Luctantesq. petunt per mutua uulnera mortem.
Crudelemq. ciet rabies ueſana furorem.
Alter in alterius ſaltu tranſire carinam
Nititur: alteriusq. alter ſtatione potiri,
Turbatumq. loco proſternere nititur hoſtem.
Cominus hic iugulum petit: & præcordia ferro
Rumpit. in aduerſos. neruo ſtridente ſagittas:
Dirigit hic. alius duram iacit eminus haſtam.

Inſidijs

Inſidijs multi, ac pugna bellantur iniqua
Protecti tabulis: rimas quà monſtrat hiantes
Apta carina dolis. igni, ferroq. latentes
Eminus in denſam diſpergunt uulnera turbam
Glandibus, & plumbo dirum ſtridente per auras:
Ignotiq. (nefas) dant fortia corpora leto.
Heu cadis occulto iuuenis ſpectatus ab hoſte
Ante aciem primam tam ſæuo uulnere: gentis
Vrſinæ decus egregium bellator Horati,
Virgiliusq. tuus, nihil ò Romana propago
Te iuuit Chalybis calida fornace recocti
Durities: thorax fidum munimen ut eſſet
Pectoribus. diro ceſſit uis ferrea plumbo.
Sed tamen inſigni tam letum nobile bello,
Tot proceres inter uirtus ſpectata, ducesq.
Mæſtorum fuſas lacrymas, luctumq. parentum
Imminuet. neq. enim corpus miſerabile nati
Vulneribus foſſum aſpicies Vicine pudendis.
Heu fraudem infandam, inuiſam ſuperisq. uirisq.
Aduerſam egregijs. heu deteſtabile telum,
Letiferum telum, quo non præſentius ullum
Virtutem extinguit: nec fortia corpora leto
Plura dat: aut aperit damno maiore phalanges,
Aeratasve acies: aut proterit agmina campis:
Igne oculos uiolat, ſonitu aures, ſulfure nares:
Et miſerum perdit crudeli uulnere corpus.
Hanc furiæ ſtygijs peſtem inuenere ſub antris:
Ne qua uirum medio ſe uirtus inclita campo
Inſerat: aut parto pugnans lætetur honore.
Deſpecti

Deſpecti manibus tractabilis, atque puſilli
Militis oblongo, ac tereti caua fiſtula ferro,
Puluere nigranti, ac plumbo liuente repleta,
Anguſto ad fundum terebrata foramine, flammam
Sulfuream rapit ardenti ſuccenſa fauilla.
Horribili crepitu, atq. immani turbine baccas
Excutit. ah miſeri, quibus immedicabile uulnus
Infligens, plumbo coſtas perfringit abuſto.
Me uero, capiunt ueterum quem ſcripta uirorum:
Socraticæ retinet quem longa inſania chartæ:
Emeritumq. ſenem: ſi bellicus ingruat horror:
Deteſtata mihi, ſi fundat fiſtula glandes:
Non platani trepidum genialis protegat umbra:
Non clypeus tegat, aut iniuſto pondere thorax.
Antra obſcura petam: fugiam trans flumina præceps,
Trans montem oppoſitum, lati trans æquora ponti:
Fiſtula dira meas ne bombis uulneret aures:
Ne uideam latis cumulata cadauera campis,
Et decurrentes humano ſanguine riuos.
Martis opus pubes exercet prodiga uitæ.
Rem gerit hic tacitus: lingua tonat ille ſonanti.
Ille gemit miſerans. hic uerbis increpat hoſtem
Voce minax. magno miſcentur cærula luctu.
Obſtrepit unda maris, clamoribus intonat æther.
Nulla quies miſeris medio conceſſa labore.

Quis ſeriem rerum uerbis æquauerit omnem
Arte ualens ſumma? nobis in carmina uires
Exiguæ: ſed noſtra fidem (nec fallor) habebunt
Difficilem: niſi forte die quis cogitet illo

Ferrea corda uiris, animoſq. fuiſſe leonum.
Diditur extemplo, magno diſcrimine ſummos
Eſſe duces, paſſim turbata per agmina rumor,
Accurrunt, denſaſq. trahunt in bella triremes
Egregij fratres: & Halym ſeruare parentem
Contendunt: uitamq. uolunt pro patre paciſci.
Subueniunt Partheus, Caracosſius, Aſſis, & omnes
Baſſarei populis ſueti dare iura ſubactis:
Barbaricumq. ducem numero gens barbara firmat.
Ductori Heſperio pariter uenere carinæ
Vndiq. ſubſidio. properat Farneſius heros:
Pectore ſollicito cui fixus auunculus hæret.
Cognati capitis graue propulſare periclum,
Officij putat eſſe ſui. fert impetus illum
Longius: audentem dolor, & temeraria uirtus
In medios remis rapit impellentibus hoſtes.
Tum pudor in rabiem Turcas incendit: & unam
Circunſtant omni naues ex parte carinam
Complures numero, proram, puppemq. tuetur,
Et ſpondas iuuenum bellantum denſa corona:
Mœnia qui Parmæ liquerunt, mœnia Caſtri,
Quiq. Placentinam ſuccinctam mœnibus urbem
Excelſis: Trebiam, Tarrumq. per arua bibentes,
Quosq. ferax Bacchi, Cererisq. Nouaria miſit,
Lecta manus bello magna cum cæde repellit
Turcarum aſſultus uarios. ululatus inanis
Funditur: atq. Italas fruſtra diuerberat aures.
Bella manu, non uoce gerit: ſed cominus armis.
Et pede collato, longis exercita bellis,

Nobilis

Nobilis Italiæ, ferroq. aſſueta iuuentus:
Ipſe autem iuuenis fortiſſimus inſilit altam
In Peribis nauem: uirtus ſpectata Tyranno
Cuius erat: magno pro munere regia pellex
Ditarat Peribem thalamo conceſſa beato.
Occurrit Peribes furijs agitatus: & illum
Increpat horrendum ſtridens, miratus in uno
Tantum animi ſupereſſe uiro: durauerit ætas
Quem nondum matura ſatis: ſecurus ut altam
Arripiens nauem denſos contemneret hoſtes:
Non dubitat meritas quin mox audacia pænas
Tanta luat: ſimul & falcato fulminat enſe.
Se iuuenis clypeo collectum protegit: & uim
Suſtinet: atq. gradum dextro pede protinus addens
Hiſpano incautum gladio tranſuerberat hoſtem:
Dat ſonitum percuſſa ratis ductore cadente.
Agmina Turcarum fugiunt perterrita, uictor
Obtinet arreptam magna uirtute carinam.
Te iuuenis memorande (licet ſi dicere) longe
Diſiunctum a ſocijs, maioraq. uiribus auſum
Vox audita Deo patrui cognominis aras
Ture pio pro te cumulantis, uota, preceſq.
Reginæ uxoris fuſę, caræq. parentis,
Et tua cælitibus pietas gratiſſima ſaluum
Reddidit: ut ſpolijs magni prædonis onuſtum
Roma prius mox te Mauortia Parma uideret.
Dum gerit hæc iuuenis Farneſius, Auſtriũs illinc
Dux minus urgetur: quin & uir maximus armis
Adiuuat ad dextram claſſi præfectus Iberæ.

 Corripit

Corripit aduerſum nauem: & deturbat in undas
Feruidus obſtantes Turcas: oneratq. catenis
Progeniem regum ueniam, uitamq. petentem.
Adiuuat ad læuam, uibratq. Columnius enſem
Fulmineum ductor. ſtragem ciet æquore uaſtam.
A cruce dux ſancta. procerum manus adiuuat, ingẽs
Pugna recrudeſcit. ſumma certatur opum ui.
Viribus æquatis anceps uictoria nutat
Lance duces æqua librat fortuna ſuperbos
Dum Caietani generis lux magna, decusq.
Pugnat Honoratus dextra de parte carinæ,
Atq. inuadentes Turcas deturbat in æquor:
Auerſum iuuenem fallit Caracoſius altam
In nauem ſaltu delapſus parte ſiniſtra:
Et perimit pubem Circeio in litore natam.
Conuerſus iuuenis magno turbante tumultu,
Stringit utraq. manu prælongum feruidus enſem:
Prædonemq. premit per ſtructa ſedilia nautis,
Lapſantem remos inter, rigidasq. catenas.
Prædonis caput abſciſum præteruolat altos
In fluctus. iacuit truncus per tranſtra uolutus,
Magnus, & effundens ſpumantem ſanguinis undam.
Cetera mox acies ingenti cæde repulſa
Deſilit in fluctus, & piſcibus aggerat eſcam.
Contigit hoc etiam dictu mirabile, multos
Sacrificos corpus nullo munimine tectos,
Iſſe per ardentes acies. per tela, per ignes,
Nudato capite, & reiecto in terga cucullo,
Ingreſſos pedibus nudis, læuaq. tenentes

In

In cruce pendentem dominum de uirgine natum,
Aſſiduis gyris, longo molimine dextræ
Et recto, & uerſo ſignantes aera ductu,
Imploraſſe Deum, pſalmos, hymnosq. canentes,
Sordibus exactæ uitæ, maculisq. remiſſis,
Cęſorum ad ſuperos animas prodire iubentes,
Ore alacres paſſim reſonabant nomen IESV.
Chriſte Dei mandata patris per cuncta libenter
Aſpera progrediens impleſti, idemq. ſubiſti
In cruce pro nobis tormentum mortis acerbæ:
Pro quibus ille tibi donauit magne redemptor
Dulce, potens, ſanctum ſuper omnia nomen IESV.
In cælis, ſimul & terris, Ereboq. profundo
Flectitur omne genu: cum uox auditur IESV
Hoſtis in hoc ipſo flectatur nomine uictus:
Inq. hoc Chriſticolæ ſint omnes nomine ſalui.
Protege Chriſte tuos, animis, & uiribus auge.
Irrita tela cadant: quæ torquet Turca profanus.
Sacrilegos Turcas male perdant tela piorum.
Eſte uiri fortes: animos attollite. Chriſto
Fidite. nobiſcum faciunt pia numina cæli.
Perdite ſacrilegos. ſceleratam excindite gentem.
Vincite magnanimi: diuosq. in uota uocate.
Vertitur in manibus ueſtris nunc ſancta deorum
Relligio, patriæ libertas, gloria gentis
Heſperiæ, decus, atq. ſalus: pugnate. laborem
Egregium iam iam uictoria lęta ſequetur.
Iam uos certa manent æternæ præmia uitæ
Spem certam intereą pugnans diuinitus hauſit

Heſperius miles: fregitq. audentius hoſtem.
Gratus & ille labor: cum uulnera multa ligaret,
Erigeret lapſos: uim feſſis ipſe ſacerdos
Adderet: ac dulcem ferret ſitientibus undam.
O fortunatos nimium, uereq. beatos,
Corporis illecebras auſos contemnere, & omni
Pauperiem Chriſti ſtudio, uitamq. ſecutos.
Affuit illæſis fiducia tanta per agmen:
Ut minus horrerent ſtrepitus, diroſq. fragores
Quàm uolitantis apis per candida lilia bombos.
Auſtrius interea manet imperterritus heros:
Magnanimumq. ferox pugnando ſuſtinet hoſtem.
Enſe ferit multos: multos umbone repellit.
Denique ductoris longum miſerata laborem,
Lecta manus iuuenum: quibus eſt Hiſpania mater:
Proſilit arma mouens. huic ſtat ſententia, ſæuo
Difficilem pugnæ nodum diſſoluere ferro:
Cædibus aut ſterni, certæq. occumbere morti.
Agmine denſato tendunt per tela, per ignes,
Quingenti numero per millia multa uirorum.
Arripiunt nauem inſignem: quæ maxima reges
Ferre ſolet, ſummoſq. duces per cærula uectos.
Aſcenſu exuperant magno clamore carinam:
Veliferum ad malum iam peruenere. ſed ingens
Vis tormentorum circuntonat. ignibus atris,
Glandibus & plumbi pubes penè obruta paſſim
Crebra cadit membris diſiectis, inter odorem
Sulfureum, fumiq. globos, atramq. fauillam.
Pectoribus uerſis reliqui ceſſere parumper.

Reſpirant.

Reſpirant: iterum inuadunt, pugnamq. capeſſunt.
Tunc etiam fortes ſimilis fortuna repellit.
Nulla mora: exoritur iam tertia pugna: reſiſtunt
Horribiles Turcæ contempta morte ruentes.
Aſſultu quarto Turcis atrocius inſtant
Protecti clypeis: & magna cæde peracta,
Iam numero pauci tamen obtinuere carinam.
Neſcit enim uinci, ſi quo eſt ueriſſima uirtus:
Illa uiam reſerat ſibi cuncta per ardua uictrix.
Tum demum inſultans longo certamine feſſum
Vrget Haly iuuenis fortiſſimus: inter & illum
Tranſtra premens dura ſubuerſum cuſpide, diros
Edentem gemitus, geminato uulnere ſummum
Ductorem ſummus ductor demittit ad orcum.
Arma uiri: chlamydem pictam, atq. inſignia regum
Cuncta legens, magnaq. Deum ter uoce ſalutans,
Et grates peragens, ſpolijs lætatur opimis.
Detrahit è puppi lunæ uexilla nefandæ:
Et uexilla crucis figens extollit ad auras.
Conſpectamq. crucem uictoria læta ſecuta eſt.
Aſt ubi capta fuit prætoria puppis & ingens
Lancea ductoris ſectum caput extulit alte:
Territa Turcarum conuerſis agmina proris
Diffugiunt: Ligures circum fugientibus obſtant,
Conſilio ducis in gyrum curuo agmine ducti:
Auerſam ut claſſem premerent: & terga ferirent
Cappadocum: queis non lapſus, non exitus eſſet.
Vt ſe comprenſos Turcæ ſenſere, gemiſcunt.
Torpeſcunt animis. manibus languore ſalutis

Spicula lapſa cadunt. artus ſtupor occupat ingens:
In pecudum morem ſtrati cæduntur. ad orcum
Millia multa ruunt; implentur ſanguine puppes.
Sanguine lata rubent freta, ſanguine ſpuma rubeſcit.
Ter denæ tamen elapſæ fugere biremes:
Alta petunt trepidi. uictor fugientibus inſtat
Terga premens. illis ſpes iam cadit irrita: terram
Obliqui arripiunt: urgentq. in ſaxa carinas.
Illiſæ crepuere rates: in litus anheli
Se ſe conijciunt: pedibus uia parta ſalutis.
Condunt ſe ſiluis per deuia luſtra ferarum.
Incendit uictor fractas in litore naues:
Ignis edax longe flamma crepitante reluxit:
Victores ſpolijs curam intendere legendis:
Bisq. rates centum læto traxere triumpho
Barbaricis opibus, gemmis, auroq. refertas.
Captiui innumeri duras ſubiere catenas:
Millia multa etiam cupidi de gente Latina
Compedibus paſſim & grauibus ſoluere catenis.
Ad remum miſeros quos ante ligauerat hoſtis.
Multa etiam duro in certamine cæſa ſuorum
Corpora cum gemitu, luctu, lacrymiſq; profuſis
Legerunt, patrijs mox tranſmittenda ſepulchris,
Exequijs decoranda pijs: pulcherrimus ut mos
Chriſticolis conſtat, producere funera cantu
Lugubri ad delubra deum, ſacraſq. per aras
Aeternam requiem defunctis luce precari
nq. hominum magnis conuentibus ore diſerto,
Eloquioq. graui funebres dicere laudes,

Commemo-

Commemorare genus, præclaraq. facta uirorum.
Credimus hoc tamen, & freti bonitate fatemur
Tum patris æterni, tum Seruatoris IESV,
Illuſtres animæ, pro relligione profuſas
Vulneribus pulchris uos in ſublime uolantes,
Aethereas penetraſſe domos, ſedesq. beatas:
Templa Dei lætæ impleſtis rumore ſecundo.
Iſtic ueſtra fuit pulchri uox nuncia facti.
(Sic homines loquimur ſenſum, moremq. ſecuti:
Omnia cum uideat Deus hæc, mentesq. ſolutæ)
Nunc promiſſa Deus perſoluit præmia uobis.
Aeternum cælo iam nunc agitabitis æuum,
Cum ſanctis hymnum Domino ſine fine canentes.
Tu Domine es ſanctus, ſanctus, ter denique ſanctus:
Atque exercituum Deus es. tua dextera fortis:
Magne Deus cælum, ac terram tua gloria complet.
Felices animæ, pro uobis ſacra per aras
Maximus Antiſtes peragens ſolennia: uobis
Indulgens, fors ſi qua manent: commiſſa remittit.
Interea noſtri memores, quia maxima belli
Reſtat adhuc moles, æternum orate parentem:
Ipſius ut nutu uictoria ſanguine ueſtro
Parta, piæ genti pergat procedere: donec
Victor Ioannes Byzantia mœnia portis
Effractis penetrans, pallentem morte Tyrannum
Sternat humi Hiſpano traiectum pectora ferro.
Vt uicti bello Turcæ, Naſamones, & omnes
Barbaries uerum agnoſcant, Mahomete relicto
Mendaci, Dominumq. Deumq. ſequantur. IESVM.

Aequoreis

Aequoreis ſtrages apparet maxima campis
(Horrendum uiſu, non enarrabile dictu)
Gaza ingens iactata ſalo, pretioſa ſupellex,
Sanguine tincta natant rerum fragmenta per undas,
Criſtarum coni, perfracta haſtilia. fundo
Corpora, thoraces, galeæ uoluuntur in imo.
Ingentem luctum mox nuncia fama Selimo
Afferet: amiſſam Ionijs in fluctibus eſſe
Immanem claſſem: qua perfidus alta tenebat
Aequora iampridem populis infeſta Latinis:
Chriſticolas uiciſſe mari: cecidiſſe ſub armis
Turcarum gentem magno certamine uictam:
Exitium reliquis ingens inſtare paratum,
Expertes belli Turcæ quicunque ſuperſunt:
Heſperios reges, modo ſtet concordia firmo
Fœdere, uictores ſemper fore: milite quando
Fortius occiduo nihil, aut pugnacius extet.
Si quid mentis habet: ſi quid reſipiſcere poſſit:
Demittet faſtus audita clade Tyrannus:
Aequalem ſeſe eſſe Deo qui credat: & illum
(Triſte nefas, ſcelus immane, intolerabile, dirum)
Diuiſo uelut imperio, cæleſtibus oris
Contentum, iubeat reliquis abſiſtere regnis:
Aequora cuncta ſibi, qui terras arroget omnes.
Te ne puſille culex hæc ſic agitare? Selime
Pœna luenda tibi. tum perfide ſera ſubibit
Tantorum ſcelerum te conſcia cura remordens.
Pulueris in morem, rapidus quem diſſipat Auſter:
Te perdet Deus omnipotens, Deus ille ſuperbis
Aduerſus:

Aduerſus: tumidos qui uertit, & urget ad ima:
Et mites, humileſq. animo qui tollit ad auras.
Horreſcet ſubito, magno turbante tumultu,
Turcica gens ignara Dei: gens impia ueſtes
Induet atratas, ſæuos teſtata dolores.
Vxores multas cum uir ſibi copulet unus:
Pectora fœdabunt pugnis, atque unguibus ora
Prorſus multa locis uiduarum millia cunctis.
Cæleſtum magno, ac memorando munere, contra
Tu Pie magne pater longum lætabere: cuius
Conſilio, cura, ſtudio res tanta peracta eſt.
Audijt omnipotens genitor tua uota, preceſq.:
Et populi clemens gemitus reſpexit ab alto.
Gens pia lætitiam ingentem teſtata per aras,
Vota Deo ſoluet: lætos & concinet hymnos.
Perq. domos, fora lata, uias, & compita paſſim
Ignibus accenſis reſonabunt omnia cantu.
Maius opus nunquam Sol uidit: facta uirorum
Omnia per terras qui luſtrat: lætus idipſum
Vidit, & obſtupuit: tanto diſcrimine rerum
Enituit uirtus. maior uictoria nunquam
Parta fuit gentiq. piæ, ducibuſq. Latinis.
Stabit Ioannis nomen memorabile: donec
Arma uiri, maria, ac terras, claſſeſq. loquentur.
Ductorem ſummum proceres clamore ſalutant:
Victricemq. manum proni contingere gaudent.
In cælum clamore Pius pater optimus, auctor
Horum operum, nec non domus Auſtria tollitur: una
Tolluntur Veneti factis gens clara per orbem.

Suſpiciunt cælum: lætis & uocibus hymnum
Ambroſii uerbis cantant: quo rite ſolemus
Ante aras laudare Deum, Dominumq. fateri.
Conuerſis proris, contento litora curſu
Nota petunt læti: & portu conduntur amico:
Procedens cælo cum iam nitet Heſperus alto:
Mortaleſq. monet ſeræ decedere nocti.

IO. ANTONII VIPERANI
IOANNI AVSTRIO
TVRCARVM VICTORI ODE.

QVI Chriſtiani nominis Vrbibus
Parabat hoſtis funera bellico
Strepens tumultu, Chriſtiana
Vi cecidit, tumidumq. collum
Dedit cathenis. Nunc rabiem Iouis
Incuſat amens, fataq. triſtia
Plenis querellarum fatigat
Carminibus. Tua dextera proles
Inuicta regum, dignaq. Carolo
Parente, cuius nomen ad ultimos
Peruaſit Indos, Barbarorum
Marte graui domuit cateruas.
Et tuta recto numine cælitum
Aerata fregit robora nauium,

Sparſoq.

Sparſoq. Turcarum cruore
Ionias tepefecit undas.
Vxor maritum Thracia belluis
Ponti uorandum plorat, Echinadum
Thrax nomen inuiſum perhorret,
Auſtriaci iuuenisq. ſigna.
Sic curæ edaces, & metus, & dolor,
Luctusq. nigra finibus Italis
Pulſæ cohortes prouolarunt
In uarias Orientis oras.
Infanda Selim fracta ferocia eſt.
Da thura flammis. Nos etiam ducis
Auguſta Ioannis trophæa
Pierio meditemur arcu.

PRO VICTORIA CHRISTIANAE RELIGIONIS CONTRA TVRCAS, AD DEVM GRATIARVM ACTIO.

LAVRENTII GAMBARAE BREIXIANI.

IAM tādē pater omnipotēs dignatus ab alto
Et noſtras audire preces, gemituſq. tuorū;
In uinclis quos ille ferus noſtriq. tuiq.
Nōis hoſtis habet, uel carcere detinet atro;
Ferre & opem nobis, tantarum in turbine rerum,
Et poſt bellorum tam ſæua incendia, totq.
Exciſas ferro gentes, amiſſaq. regna.

Nam nec erat ſpes ulla fugæ, furibundus & hoſtis
Terruerat pontum, & terras uictricibus armis,
Et claſſe Adriacas ualida penetrauerat oras,
Oppidaq., & pelago, & terris inuaſerat urbes:
Atque inimicum ignem ſecum, cædeſq. ferebat.
Induerat quos ſe in laqueos nec ſenſerat: & non
Quid poſſet, Rex ò cæli, tua dextera norat.
Vnde agimus tibi nunc tanto pro munere grates:
Et templis pia thura damus: per templa, uiasq.
Debita ſacra tibi canimus: nam dextera partim
Threiciam claſſem tua merſit in æquore: partim
In noſtras impulſa manus eſt te duce, & ingens
Turcarum intepuit reſperſus ſanguine pontus:
Nam nec habet certas tua magna potentia metas,
Nec præſcripta tibi eſt, ſed tu potes omnia ſolus,
Tellurem & pelagi liquidas conuertere in undas,
Et mare tellurem in ſolidam, tibi paruit æquor,
Aequor Erythræum: Solymæ dum robora gentis
Tranſirent uaſti ſicco pede marmora ponti;
Atque minas fugerent duri Pharaonis, & arma.
Namq. tuo iuſſu diſceſſit tunc maris unda
Hinc atque hinc ſaxi in faciem durata repente:
Hebrææ inferrent greſſus qua parte phalanges:
Quæ retrò tunc deinde fluens coniunctaq. currus
Inuoluit pelago Mareotidaq. arma ſequentum.
Nunc uero non ſe pontus diuiſit: at unda
Strata, ſilenſq. (tuo ſed non ſine numine) uentus
Auxilio noſtris fuit, & tot clara per annos
Præteritos uirtus, & formidabile nomen

Turcarum

Turcarum in uentos abijt, tunc gentis Iberæ,
Atque Italæ ad cælum bellando gloria ſeſe
Extulit, inuictamq. olim per cærula claſſem
Haud noſtræ timuere artes, non impetus illos
Barbaricus iuuit, ſparſuſq. per æquora clamor,
Nam noſtra haud lunæ ſpeciem uexilla ferebant;
Sed Cruce pendentem Chriſtum palmaſq., pedeſq.,
Traiectumq. latus ferro, pariterq. parentem
Aſpera dilecti lacrymantem funera nati.
Gloria tota tua eſt, neque enim uictoria noſtro
Conſilio, aut armis parta eſt, aut uiribus ullis.
Et miles ferus ille, ſuo ſperabat in arcu,
Et gladio, quo iam toties cæſo hoſte triumphos,
Egerat, & uictor prædas portarat ad oras,
Inſonat anguſta qua Boſphorus horrifer unda.
Quid dicam? ò Aſiæ regnator ſæue, Deus te,
Quem colimus, meritoq. ſacras ueneramur ad aras,
Proteret, haud aliter quàm læti graminis herba
Cornipedis pede preſſa gregis, dicamq. ego; uidi
Regem Aſiæ florentem opibus, regniſq. potentem,
Elatumq. animo, & tumidum præcordia faſtu,
Non ſecus ac cedri alta comas ſublimibus arbor
Nata in uerticibus Libani, ſed luce ſequenti
Dum redeo; Rex non uſquam: ſed nec leuis umbra
Corporis illius; nec gloria parta ſub armis
Vlla erat, aut rerum ueſtigia facta ſuarum.
Et nunc tempus adeſt, quo te ſulcaſſe pigebit
Ionios fluctus, & claſſe intraſſe profundum
Adriacum, tuaq. arma armis concurrere noſtris

Permiſiſſe, Deus cum nos nunc protegat, & nunc
Pro nobis (ut tu ipſe uides) bella aſpera pugnet.
Tunc ego lætitia ingenti cumulabor, & axes,
Vertice contigam cæli, dehinc ora reſoluam
In laudes, ô Chriſte tuas, magniq. parentis.
Qui ſolus pontum, & tellurem condidit, & non
Se folia ulla mouent, tanti ſine numinis aura,
Ceſſabo, & nunquam tua facta intexere noſtris
Carminibus, pariterq. tuos memorare triumphos,
Nam uicti cecidere hoſtes, pauciq. (cruore
Aſperſi tamen) ad ſedes rediere paternas,
Et ſua uiderunt uerſis uota irrita fatis.
Te mare, te tellus, cæli te regia laudat,
Celeſtesq. chori, lætaq. per opida gentes
Europæ, quæ te Dominum, Patremq. fatentur
Inſigni ſuper aſtra ferunt te laude, tuumq.
Nomen, & annales condunt: quibus inclyta facta
Deſcribunt, quæ dextra potens tua fecit in undis
Ionijs, noſtri ut poſſint hæc ſcire nepotes,
Teq. colant unum, penes eſt quem quidquid ab alto
Aſpectat, cæli cum Sol tenet arduus oras:
Iſtiusq. ſacræ memores ſint lucis, & aras
Ante tuas tibi digna canant præconia laudis.
Tuq. illorum animas, ſuſo qui ſanguine pro re
Romana, ſacrisq. tuis, patriaq. ruenti,
Vulnera per, pulchramq. necem cecidere ſub armis,
Sidereas ſupra ſedes, qua fulget Olympi
Regia, duc tecum, & tuta ſtatione repone.
Et uos Aetherei fontes, quos non uagus imber

Verberat,

Verberat, aut pedibus turbat fera, uel grauit æſtus,
Aut ramis folia arboreis delapſa; ſed eſtis
Perſpicui, gelidiq. Deum laudate, manu qui
Pro nobis ualida noſtros pugnauit in hoſtes,
Tu quoq. Sol, qui uidiſti ſublimis ab alto
Aethere pugnantes pacata per æquora puppes,
Et nunc tu canere, atq. urbis per compita pompas
Ducere ſolemnes lætus nos aſpicis; heu quàm
Exiguæ ſunt, & tenues, te iudice grates,
In nos pro tantis meritis: quæ contulit ille,
Ille ſator rerum, & tanti certaminis auctor.
Iam circum ſeptem colles, quos diuidit unda
Tibridis, & curſu præclaram interluit Vrbem,
Lætitia magna exultant, atq. ardua uoces
Terrarum lætas ad ſidera lucida iactant,
Atq. nouis reſonant paſſim concentibus auræ:
Ipſa coronatis Tuſcum mare cornibus intrant
Flumina, quæ currunt de fontibus Apennini,
Certaq. uenturis declarant gaudia ſæclis.
Tuq. Pie ante alios lætare o Quinte, tenes qui
Peruigil in terris Chriſti ſedemq. locumq.:
Nam longè es felix, ſub quo Deus optimus hoſtem,
Hoſtem opibus, ſimul & terra, pelagoq. potentem
Merſit in Ionijs undis, qui fœdere rupto
Impia in inſontes Venetos iam uerterat arma,
Et Cypri regno expulerat, uictorq. tenebat
Totius pelagi imperium; ſed det tibi tantum
Omnipotens uitæ ſpatium, quo cernere poſſis
Illum amittentem terras, amiſit ut æquor,

Et dantem meritas effuſo ſanguine pœnas,
Pacatum & uideas lætis ſucceſſibus orbem,
Erranteſq. greges Romana in ſepta reducas:
Qui uacuos tondent ſaltus, dumetaq. ſyluæ
Hercyniæ, gelidiq. bibunt qui flumina Rheni,
Quoſq. ferus uerſat paſtor per prata Britannus:
Nam tua barbaricæ populantur ouilia gentes,
Quæ rectas liquere uias, iuſtumq. piumq.
Tum iuuenem Pater alme tua pietate; tuumq.
Ob numen ſerua incolumen, quem bella gerentem
Indomitas contra gentes, populoſq. rebelles
Vidiſti toties ad curui flumina Batis,
Germaniq. ſimul referentem in regna Philippi
Victrices aquilas, & cæſis hoſtibus arma,
Atq. ipſum hunc etiam uoluiſti ducere claſſem,
Atq. illi ſummam uoluiſti credere rerum,
Effice, ut ipſe etiam faſces in regna reducat
Aeneadum amiſſos olim, lauroq. reuincta
Roma comas, Macedum populis, Bactriſq. ſubactis;
Quiq. colunt Libyam, & Nilum, det iura, iugumq.
Excutere impoſitum poſſit, uiolentaq. fræna.
Huic etiam pater omnipotens da, maior ut ipſo
Sit patre, bellando quamuis tot uicerit urbes,
Viderit & captos reges, fuſaſq. phalanges.
Et regno ſumptis in regna reduxerit armis
Expulſum regem, qua Bagrada currit in æquor.
Hæc tibi Alexander cecini, dum tu colis oras
Vmbroſis gelidus quas Farfarus irrigat undis,
Commiſſiſq. tibi populis ciuilia reddis

Iura

Iura tuis, ritusq. ſacros, & templa reuiſis,
Criminaq. & uitas diſcis. Tu perlege quæ iam
Iam toties uotis optaſti, & gaudia mecum
Tu cape, & ante aras, pronus, ſupplesq. age grates
Immenſasq. patri æterno, qui merſit in undis
Ionijs Turcarum acies inimicasq. uela;
Atq. alias magno grates perſolue parenti:
Qui cupidum belli in patriam ſedesq. reduxit
Farneſium iuuenem qui nomine te quoq. reddit:
Duxerat ad bellum quem clarus auunculus armis
Illius uirtutem animi, roburq. iuuentæ
Admirans, puer aduerſos dum tendit in hoſtes.

IN REGEM TVRCARVM POST AMISSAM CLASSEM

Laurentii Gambaræ Brixiani Carmen.

*P*ERFIDE *Turca tuo quid uerſas pecto-*
re; poſtquam
Amiſſam pelago claſſem, ſtragemq. tuorum
Audiſti? qua confiſus te poſſe putabas
Non ſolum Adriacos fluctus, Tyrrhenaq. ponti
Cærula, & Heſperij maris æquora, ſed quoq. uaſtos
Cannibalum penetrare ſinus, uictorq. referre
In patriam prædam ingentem: regesq., duceſq.
Ante tuos currus captiuos ducere: & urbem

Per mediam, rapida quam Boſphorus alluit unda,
Ire inuectus equis, auro, gemmisq. ſuperbus:
Poſcere & ętherios patris omnipotentis honores.
Namque mare undabat bello, atque inieceràt atrum
Tunc hominum terrorem animis tua barbara claſſis.
Sed nunc, en quantum tua te ſpes uana fefellit,
Atque incerta uides: quoniam ſic euenit illi,
Qui numerũ ob bellantum audax ſpem collocat omnẽ
In regnis, opibusq. ſuis: nec cogitat iram,
Quam Deus omnipotens in ſontes uertit iniquos.
Et nunc Venetis Epiri in litoris ora
Audiſti euerſas acies, fuſasq. phalanges.
Nec dubita, ipſa manus Domini fortisq. potensq.
Quæ gentem, claſſemq. tuam; mox te quoq. uictum
In noſtras eadem ipſa manus Turca impie tradet.
Atq. manus geminas uinctus pedes ibis ad alta
Permixtus ſeruis Capitolia, non ſine dura
Compede, & inſignes iuuenis aget ille triumphos
De te ſublimis curru: qui nuper in undis
Ioniis (ducente Deo) claſſemq. tuosq.
Ductores pugna nauali uicit, & ira
Tunc magna pater accenſus nomenq. genusq.
Delebit Selime tuum, ueluti per aperta
Plana lutum, ualido aut puluis diſiectus ab Euro;
Inq. tot ærumnas commiſſa ob noſtra, Tyranne
Crudelis nos incidimus: quarum haud tua claſſis
Cauſa fuit, non turmæ equitum peditumq. cateruæ;
Sed Deus ipſe tuas, nobis iratus; in iras
Nos miſeros totiens conceſſit & oppida, & urbes:

Et nunc, cum ſit nos cælo miſeratus ab alto,
Et precibus noſtris non obſtruat (ut prius) aures;
Iras in te acuet: quas olim exercuit in nos.
Atq. etiam tantis urbs quondam aſſueta triumphis,
Noſtrorum & ſpolijs diues: quam nunc ferus ille
Incolit, atq. tui contemptor numinis ô Rex
Omnipotens cæli, & terræ, tu turturis inſtar
Quæ nuper thalami conſortem amiſit, & implet
Flebilibus nemoris nigrantem queſtubus umbram.
Mortua nauali pugna, diſiectaq. ponto,
Et noſtris laniata auidis, tua corpora defle,
Et proſepoſita palla, te ueſtibus atris
Indue, & obſcuris lacrymans te conde tenebris.
Tantæ inſperatæ cladis teſtata dolorem
Inſolitum; dehinc lætitiam, ludosq. repende
Exactos gemitu mæſto, caſuq. recenti.
Tu uero Deus è celſa qui ſede tua nos
Proſpectas, dum thura tuas adolemus ad aras,
Et canimus te præſidium, præſensq. fuiſſe
Robur, in Ionio dum ponto fregimus hoſtem
Threicium, lætiq. domum, ſpolia ampla, ducesq.
Retulimus; da quod populus tuus, inſuper orat,
Supplicibusq. petit precibus: ne iactat amarus
Seſe hoſtis terra pugnans uiciſſe, mariq.
Dicat & inſultans: Deus illos liquit, & ultra
Illius non dextra tegit, nec pugnat (ut olim)
Iſmariam ſed tu primo in certamine claſſem,
Armaq. pugnantesq. uiros, uaſto obrue ponto.
Inſtructæq. iuuent illum non mille triremes:

Bellantum non mille acies; ſed uictus in armis
Occumbat, tingatq. ſuo freta ſalſa cruore.

IO. ANTONII ODESCALCI, ad Reuerendiſſimum D. Paulum Odeſcalcum Patruũ Epiſcopum Atrienſem.

ANNVITE *ò Muſæ paulò maiora paranti*
Dicere, & immẽſi ſeriem perſtringere facti,
Et Scythicam cladem, et uictam percurrere claſſim;
Magna quidem Diuæ, ſed non indebita poſco.
Nec deerunt, grandi uictum qui carmine pontum,
Barbaricoq. canant fluctus undaſſe cruore,
Diuini uates, claroſq. Heroas in aſtra
Deducant, atræq. uetent ſuccumbere morti.
Non ego me demens illis adſcribere tentem.
Huic quoque nunc faueas, ſunt hæc tua iuſſa, labori
Paule; manent etiam tantæ non ultima laudis
Te decora, & parti pars haud neglecta triumphi.
Te Pius ille hominum Paſtor, Diuumq. ſacerdos,
Hoſtia cui parent uni bipatentis olympi,
Ingentes uoluens accenſo pectore curas,
Magnanimum ad Iuuenem, triplex cui credita clauis,
Miſit; ei magni memoras mandata Parentis,
Subijcienſq. acri ſtimulos, hortaris inertes
Præcipitare moras, rebuſq. inſtare gerendis,

Atque

Atque uiros magno ſuccendis laudis amore.
Nec mora: Sicanio ſoluuntur litore puppes,
Proſequeris manibus iunctis, uotiſq. ſecundis
Voce uocans ſuperos, finem, requiemq. laborum,
Et lætum cunctis reditum, & ſpolia ampla precatus.
Audijt omnipotens Genitor, ſubitoq. fragore
Intonuit cælum, & late lux clara refulſit,
Illi abeunt, Zephyris curuantur uela ſecundis.
Omnibus unus amor, pulchræ ſuccedere pugnæ,
Et conferre manum, atque audaces cordibus ardent.
Qualis Maſſylum patrijs generoſus in aruis
Ingreditur leo, ſiue fames ſtimulauit edendi,
Siue illum uirtus, animiq. in prælia mittunt:
Horreſcit ceruix, caudaq. immania terga
Verberat, & tumidas ingens aſſurgit in iras,
Atque aliquam in magna cupiens occurrere ſilua
Fortè feram, ſæuo fremit implacabilis ore.
Iamq. Corinthiaci ſulcabant æquoris oras,
Et ſparſæ medijs cernuntur Echinades undis,
Haud procul apparet nautis nemoroſa Zacynthos,
Atque Ithace; aſt alia notiſſima litora fama
Actia parte iacent, & tellus diues Achiuum.
Eſt in ſeceſſu uentis immotus, & ingens
Portus, iactatis ſtatio benefida carinis:
Lepantum patrio dixerunt nomine Graij.
Hic hoſtis ſe ſe ripis, portuq. tenebat.
At noſtri miſſa ſpeculantur cærula cymba,
Explorantq. locum, certi decernere ferro;
Cum ſubito Eoam agnoſcunt longo ordine claſſem

Litora deſerere, & latis procedere campis.
Vnà omnes illic uideas ruere agmine denſo
Cum fremitu, uiſu horrendum; ferit æthera clamor,
Spumea & æratis ſcinduntur cærula roſtris.
Qualis ſi pelago euulſa ab radicibus imis
Incedat ſilua, aut qualis Latonia Delos
Errabunda olim medio natet inſula ponto.
Puppibus auratis fulgent, atque ære coruſco,
Horret & Iſmarijs acies armata ſagittis.
Scilicet incautos nimium ſpes uana fouebat
Haud laturum hoſtem, & turpi cædenda daturum
Terga fugæ: Tanta eſt priſcæ fiducia famæ.
Parte alia aſpectu horribili haud exterrita claſſis,
Oblatam gaudens æquo certamine pugnam
Alta ſecat, magnoſq. animis affectat honores.
Ipſe dari ſignum belli tunc imperat ore
Stans celſa in puppi, ſocioſq. accendit in hoſtem
Auſtriacus Ductor: Nunc ò mihi lecta iuuentus,
Nunc ò tempus ait, patriæ pugnate, lariſq.
Et Chriſti memores; meritum ſua quemq. manebunt
Præmia, certum omnes hodie ſperate triumphum
Me duce. ſic fatus Princeps, tunc pergit in hoſtem
Impauidus, ducibuſq. alijs ſua munera didit.
Hoſtibus at gelidus ſubita formidine ſanguis
Ima petit, poſtquam uenientem cernere contra,
Inſtructaſq. acies poſſunt fulgentibus armis.
Illico direxere ſuas de more cateruas,
Et ſenſim iuncti lunatis cornibus ibant.
Ecce autem horrifico pelagus tonat omne fragore:
Contre-

Contremuere undæ, nimboq. inuoluitur atro
Aether, & magno quatitur cum murmure tellus.
Auditur clamorq. uirum, ſonituſq. globorum
Litoribus Graium, & belli prænunciat horam.
Continuo ſæuit Mauors adamante ſuperbo
Tectus, at igniuomis ardet Galea horrida criſtis,
Inſtigatq. acies, ſtimuliſq, haud mollibus urit.
Dux erat ante alios, rerum cui credita ſumma,
Inſignem ducens auroq. & murice pinum,
Quadringenti illum, gens bello experta, ſequuntur.
Huic natam haud lætis ſociauerat ante Tyrannus
Auſpicijs; Procerum hic fuerat gratiſſimus illi,
Huic ſolitus, ſi quid uerſabat pectore magnum,
Arcanas uni fidens committere curas.
Ergo auſus tardam curſu præcedere claſſim,
Vt crucis auratæ uidit uolitantia ſigna,
Inſtratamq. oſtro puppem, Dux fertur amici
Hac, ait: hic nullo Victoria parta labore
Vobis ò iuuenes, leto ſi ſternimus illum.
Nec minus Auſtriades nautis obuertere proram
Imperat, & cæli aſpectans conuexa precatur.
Nec mora; concurrere, unciſq. hæſere cathenis.
Accendunt exempla Ducum, & præſentia cunctos;
Ter noſtri Scythicam ingreſſi ſuperare carinam,
Ter ceſſere loco, & greſſum retulere coacti.
Hic belli moles, ſummis hic uiribus omnes
Contendunt: Neque enim leuia, aut ludicra manebāt
Præmia uictorem. Quæ uos hic forti a facta
Editis ò memoranda manus? Quot ſternitis enſe

Corpora

Corpora Medorum? Nil illos tela, uel arcus,
Nil ualidæ iuuere manus? Occumbis & ipſe
Infelix, tibi & Heſperius caput abſtulit enſis.
Dux ô Turcarum, & nigro demitteris orco.
Auſtriadæ læti clamorem ad ſidera tollunt,
Victores præda, & ſpolijs potiuntur opimis;
Inde citi flectunt curſum, quà plurimus hoſtis
Vrget; & inſani gliſcunt incendia Martis.
Extemplo Turcis ſoluuntur inertia duro
Corda gelu, ceſſit defectis mentibus ardor,
Vt uidere ducem primo in certamine uictum.
Attoniti torpent, & pallida mortis imago
Occurrit trepidis, & inexſecrabile fatum.
Agnoſcunt ueniſſe diem, qua poſcere pœnas
Perfidiæ uiſum eſt ſuperis ob fœdera rupta.
Heu nimium rebus fiſi, elatiq. ſecundis
Vos manet ira Dei iuſtiſſima, uulneris alti
Compenſans grauitate moras. Te Rector Olympi
Te colimus, tua certa fides, nec iam impius hoſtis
Audebit populis demens illudere Chriſti.
Quocunque Auſtriadę uictricia ſigna tulerunt,
Cæde rubet pelagus: nullus concurrere contra
Audet, & obſceno miſcentur cuncta pauore:
Illi autem cælo uenientis fulminis inſtar
Horribili late ſtragem fecere ruina.
Nec minus interea cornu pugnatur ab omni:
Hoſtis ubique cadit, morientia pontus ubique
Corpora uoluit aquis, clypeos, galeaſq. micantes.
Victos cæcus agit furor, atque inſania præceps,

In mortemq. ruunt, pelago merguntur in alto
Complures, ſalſoſq. abſorbent pectore fluctus:
Flamma uorax alios medijs abſumit in undis.
Tandem ubi nulla fugæ ſpes eſt, & nulla ſalutis,
Prætendunt dextras, pacem ueniamq. precantur
Supplicibus dictis, infauſtaq. prælia damnant.
Ergo ſuperba graui religantur colla cathena,
Abijciunt tela, & manibus poſt terga reuinctis
Præclari ſpeciem uiſi præbere triumphi.
O miſeri hæ uires, hæc magna potentia ueſtra eſt?
Siccine producti fines, æquata parentum
Gloria, & Heſperijs ingens timor additus oris?
Diſcite nunc cælo iuſtum regnare Tonantem.
Vix demum è tanto fugerunt agmine pauci,
Quos metus acer agit; ceu quondam in montibus altis
Conſpecto cane cerua fugit, præruptaq. ſaxa,
Et cautes ſuperans ſilua ſe condit opaca:
Ille nemus late latratibus implet acutis.
Victores gaza immumera, ſpolijſq. potiti,
Re pulchre geſta, miſſis tot millibus orco
Parthorum, inſignem nacti poſt ſæcla triumphum,
Conſtituunt ſuperis dignos indicere honores.
Quas tibi nunc omnes magni pulcherrima proles
Auguſti tanto laudes pro munere reddent?
Quem tibi uel ſummis belli uirtutibus unquam,
Vel pietate parem, felicia ſæcla tulerunt?
Tu noctem Europa, tenebras tu diſcutis atras,
Sol ueluti radijs obſtantia nubila pellens,
Diuinaq. refers terris noua gaudia luce,

Et propius merito Diuis accedis honore.
Quid uos? ò quantum gaudetis nomen adepti
Ductores alij? bello præclarus, & armis
Emicat ante omnes, lætoq. Columnius ore
Romulides, clari præfulgens ſideris inſtar,
Atque ſuam æterno colluſtrat lumine Romam.
Ille autem magnis patruum uirtutibus æquans
Auria, temporibus fuluo radiantibus auro
Cælo exultat ouans; uiden' ut pulcherrima tollat
Fama uirum magna circum plaudente corona?
Non ego te Venetum tacitus fortiſſime Ductor
Prætercam, nec iam uano tua funera fletu
Proſequar; oppoſitos audax dum tendis in hoſtes,
Torta manu ualida lumen ſibi fixit arundo.
Occumbis uictor, ſed fortia facta tuorum
Ante tibi, & partum licuit ſpectare triumphum,
Tum cælo aſcendens, æterna ibi pace quieſcis.
Saluete æternum, noſtræ decora inclyta gentis:
Nulla unquam ueſtrum delebunt ſæcula nomen,
Nulla prement tantas ingrata obliuia laudes.
Dum priſco in ſolio Paſtor Romane ſedebis
Maiorum, & placida terras moderabere lege,
Dumq. diem rebus Phœbi lux alma reducet,
Egregij ſemper facti monumenta manebunt,
Audiet & patrum titulos uentura Iuuentus,
Et pugnas canet, atque æternum prodet in æuum.

IO. BAPTISTAE ALBANI COMITIS.

GAVDE Roma parēs, magni gaudete Quirites,
Et feſtos celebrate dies, pompasq. frequētes
Inſtruite, & ſacro gaudens Tiberinus ab amne
Exerat uberibus rorantia cornua lymphis.
Scilicet aduenit tandem labentibus annis
Illa dies, populos cælo miſeratus ab alto
Qua pater omnipotens, inuictæ robora gentis
Strauit, & Ioniis pugnantem merſet in undis
Barbaricam claſſem: Turcarum ſanguine pontum
Vidimus undantem. Totum hoc tua uota precesq.
Obtinuere Pie: hinc noſtris Victoria fulget,
Et pia Relligio, & iuſti reuerentia creſcit.
Te duce iam uideo, Titan quaſcunq. recurrens
Proſpectat gentes, pulſis erroribus unum
Noſſe Deum, & de more patrum gentisq. Latinæ
Hunc colere, immenſum nutu qui temperat orbem,
Quē terræ ac maria alta tremunt, cui maximus æther
Paret, & ardentis legio famulatur Olympi:
Pellere infandos ritus, ac fœda priorum
Orgia, fallacesq. deos detrudere ab aris.
Iam uideo ſanctam, dudum pugnantibus Euris
Quaſſatam, optato nauem requieſcere portu.
O nimium felix tellus, quam Præſide tanto

Exornat

Exornat diuum atq hominum ſententia concors:
Tempus enim nunc tempus adeſt, quo Romula uirtus
Surgat, & in florem ueteris ſeſe induat æui,
Quo ſeſe attollat, lætoq. Oriente ſubacto,
Et Lybia ſacrum domita caput inſerat aſtris.
Atq. iterum ſæcli longè melioris origo
Apparet: uiden ut mundo fila aurea Parcæ
Deducunt, ueteres auidæ ſarcire ruinas.
O fortunatam Auſoniam, Saturnia regna,
Non triſtes poſthac cædes, ſæuasq. rapinas
Cernere erit, non abductis ſquallere colonis
Arua, nec in ſummis uolitare incendia tectis:
Sed terras pax alma colet, pacemq. ſequetur
Læta Ceres, flauis crinem circundata ſertis.
At tu præſidium Europæ, cui maximus orbis
Certatim aſſurgit, lapſis ſuccurrere rebus
Perge Pie, & claros Heroum laude triumphos
Qui ſuperas, priſcæ cedant tibi nomina gentis.

INCERTI CHRISTIANVS ANGELVS.

MORTALES *audite meas, quas pandere uoces*
Præcipit Omnipotẽs, imoq. recõdite corde.
MVLTA *diu uobis patiens delicta remiſit*
Ipſe Pater tantum ſpectans pia uulnera Nati.
Sed tandem uirga iuſtus uos plectere ſumpſit:

Atq.

famem, diramq. luem demiſit: & iras
s exciuit ualidi, ſæuiq. Draconis.
amen ipſe pius flentem populumq. Piumq.
orem miſeratus, eas auertit: & iras
uires diri Serpentis preſſit inerteis:
a Iuuenis claſſem, ſapiens Dux fœderis almi,
ſtrius infidi cepit, demerſit, & uſſit,
l nunc Chriſticolæ mores mutate, malumq.
iquite, ſectantes Domini ueſtigia CHRISTI:
am meliora Deus ſic, & maiora parauit.
oc Duce cui uires non tam, nec Martia uirtus,
uam pietas, Caroli patris ſuperare triumphos,
m dedit, effrenis populus, ſæuusq. Tyrannus
ccidet, atque malus Mahumetes corruet Orco.
At uos uos inter pacem ſeruate perennem,
t manibus lotis æterno munera Patri
Porgite: Sic toto Chriſtus uenerabitur orbe:
Ac etiam totus ſic uobis ſeruiet orbis,
Et dabitur tandem cæli requieſcere ſede.
Talia (uana mihi ni mentem luſit imago)
Neſcio quis ſuperum diuino protulit ore,
Non hominis facies, tunica (ni fallor) amictus
Candida erat, fuluo lumbos circundatus, auro,
Aliger, & roſeo ſuffuſus labra colore;
Diuinum toto ſpirabat corpore odorem:
Atq. comas gemmis redimitus, tempora lauro,
Atq. manum tereti ramo frondentis oliuæ.
Sic fatus Chriſti Regnis benedixit, & alas
Suſtulit, ac ſummum præpes penetrauit Olympum,

AD ALOYSIVM MOCENICVM, SERENISSIMVM VENETAE REIPVB. PRINCIPEM, Carmen Triumphale; ſiue, ob Venetæ Claſſis Victoriam, Σύγχαρμα.

IACOBI DEMII, HAGANI, BATAVI.

QVIS nouus Auſoniys ſuccedens Nũtius oris,
Anxia lætitia perfundit pectora mira?
Num, circumuolitans Italã Victoria claſsẽ,
Threÿcio Venetos tepefecit sãguine cultros
Ipſe ſuis populis palmæ conceſſit honorem,
Quo ſibi ſacra die, ac ſolennia feſta parari
Vidit, qui præſens huic DIVVS *prẹſidet vrbi*
Huc ades, uſque piæ faueas VICTORIA *genti.*
Non hac turicremis adolebit Numina flammis,
Non melior Diuum templis indicet honorem.
Huc ades, uſque piæ faueas VICTORIA *genti*
Ecce fauet: Laceris iacet impius undique ſignis
Barbarus:, & uinctis trahitur poſt terga lacertis
(Non ut pollicitus) VENETOS *uiſurus ouanteis.*
Pande Trophæa citò uictrix Mauortia claſſis.
Mox & io ingeminet, Vox, iò; læta Triumphe.
Ille, Giganteo qui temnens Numina faſtu,

Opprimit

rimit infeſto Byzantia litora ſceptro,
ucibus anguſtis quà nunc Mæotida pandens
horus uſque fremit, ſimilis freta ſtrata Tyrannus
d ſua Perſarum traiecerit agmina ponte)
nathios, Cilicas, Medos, Lydoſq., Phrygesq.,
yrios, Arabas, Phœnices, Biſtoniosq.
tquot & Eurotas, & Tigris, Nilus & Hebrus,
uè altus rapidis Euphrates proluit undis,
uotquot radijs populos ſol luſtrat Eois,
ructas pharetris acies, Lycijsq. ſagittis
uibus abdiderat, minitantia fulmina claſſi
idium Heſperiæ, & tætro infectura ueneno,
, maris Adriaci Dominam, & Neptunia Regna.
n ita Cecropiam tremefecit Pallados vrbem,
n, ferus inſultans, induceret horrida Graijs
niuir indomitis Perſarum examina Xerxes;
n ita, cùm Pœnus, uel cùm Regina Canopi,
l ratibus fretus Libycis inferret Iberus
rma Ioui Latio, Mauortia territa Roma eſt;
cùm Tænario prorumpens Cerberus antro,
erculit Adriacas Stygijs latratibus undas:
uia quæque uorans flammis, ac dentibus atris
nmani lanians feritate, innoxia Christo
cri terga gregis, rabido bibit ore cruorem.
roditor, & pacti uiolator fœderis, almæ
ontemptor Pacis, non conditionibus æquis,
on ullis unquam precibus placabilis iræ,
andem mole tua Briareu metuende ruiſti:
unc toties meritas ſuperis dabis improbe pœnas.

Ob ſcelera Eumenidum diris plectenda Colubris:
In te iuſta Dei ſtatuit uindicta, ſuperbis
Exempla obſeruanda, ac formidanda Tyrannis.
Huc ades, uſq. piæ faueas VICTORIA *genti:*
Non hac turicremis adolebit Numina flammis,
Non melior DIVVM *templis imponet honorem:*
Huc ades, uſque piæ faueas VICTORIA *genti.*
DIVE *Pater populum ſeruaſti;* MARCE, *Clientem;*
Qui tua nunc onerat ſacris altaria donis.
Nil tibi, MARCE, *neget ſummi regnator Olympi.*
TVQVE CAPVT PATRIAE *(Veneti quẽ clara Sena-*
MOCENIGE *decus generis; columenq. tuorũ, (tus,*
Conſilio, & uirtute uirum, meritisq. potentem,
Tot conſcriptorum delegit CVRIA *Patrum;*
Aurea quo demum VENETIS DVCE *ſecla redibũt)*
Suppliciter decerne preces, turisq. Sabæi
Munera fer gratus Diuum Genitoris ad aram.
Barbaricis altum ſpolijs, ſignisq. Trophæum
Nobile, conſtituas ſeclis monimenta futuris
Triſtia ſollicitis ſoluantur pectora curis.
Claſſica, nautarum mixto clamore, triremes
Ritè canant: pictis Ductores puppibus auro
Splendida nauali uibrent uexilla corona.
Tecum, uictrici redimitus tempora lauro,
Lætitia exultet populus: noua gaudia paſſim
Publica teſtetur parti uaga flamma Triumphi:
Tympana, cum Cytharæ ſtrepitu, leuibusq. choreis,
Et tormentorum tonitru, & clangore tubarum.
Quin etiam referat memores, modo quicquid ubiq.

Gentis

tis ad occiduas Eois Numen ab oris
us uſque colit, ternumq. unumq. fatetur,
ternum ſuperis grates Pæana canendo.
tamen interea ſucceſſu læta Triumphi;
BS opulenta uiris, opibuſque beata; ſuperbos
tollas animos nimium, aut delicta peractis
teriora malis iteres, repetasq. caueto.
m faſtus exoſa graueis Rhamnuſia uirgo,
ruit aduerſis hominum exultantia lætis
da: etenim fluere hinc, retro et res lapſa referri
pe ſolet populis ira deſerta Deorum:

De Venetis, Ac Tvrcis, Suffragantibus Numinibus.

AMA eſt, unanimes, concordi fœdere, Fratres
Diuiſas orbis ſorte tuliſſe plagas;
Neptuni ut Pontus, Iouis arduus æther, at atra,
Tartara Plutonis, cum Styge, regna forent:
rs tamen imperio, numeroq. beatior, VRBEM
ADRIACAM cælo prouehit, atque mari.
nuit hinc VENETIS cæli Deus ætheris arcem,
Et ſuper aſtra pios præpete uectat aue;
ic dat & æquoreis dare iura Tridentifer undis,
Turgida & appoſitis tendere uela Notis.

Poſthabitis Cybele Phrygibus dat & alma, Leonum
Flectere in Eoos colla tremenda canes.
Aeneadum Genitrix, hos inter fœdera Diuos,
Perpetua iungit ritè colenda fide.
Freta his numinibus Pelagi Regina, ſuperbos
Threiicij faſtus fregit, & arma Ducis:
Quem fouet, ut pareat, niſi cauerit, impius Orcus
Cumq. Hecate, Eumenides, Tanariusq. Canis.

PANEGYRICVS

OB CLASSEM CHRISTIANAM APVD Actium uictricem Io. Baptiſtæ Oliui Cremonenſis,

AD

ILLVSTRISSIMVM ET EXCELLENtiſſimum D. Sfortiam Pallauicinum Sereniſſ. Reip. V. Gubernatorem, & Generalem meritiſſ.

SOLVS ego hic tacitus, uideam cum cætera plauſu
Geſtire, & ſtudio paſſim exultare canẽdi,
Nunc ſileã? & nunquam captis ego prælia pandam
Hoſtibus? ò liceat tantas deſcribere laudes,
Victricem & claſſem numeris comprendere noſtris,
Lætaq.

Lætaq. multorum populorum gaudia ferre
Nunc liceat, bis io pæan uos terq. triumphe
Dicite Clyſiades Nymphæ, quibus altus Apollo
Præſidet, in numerumq. choros celebrate canentes.
Tu decus Auſonidum, ſacra cui tempora lauro
Cinxerat armipotens gradiuus Sfortia, Enyo
Cinxit, & audentem bellis, armisq. potentem
Fecerat, huc adſis, noſtros & dirige greſſus,
Te facilem nobis præbe, & ſuccurre precanti.
Non ego cuncta meis ignota indictaq. primus
Verſibus amplecti exopto, per inania luſtrans
Verba, nec indignos ſenſus, nunc accipe Muſa,
Quæ dederat pulſane Chelyn Tymbræus Apollo.
Sacra canant Itali ſimul omnes numina, & amplam
Vnanimes captent claſſem, uictriciaq. arma
Arma ferant alacres, domitosq. oriente repoſcant
Regem ad ſupplicium præſenti Marte ſuperbum,
Nunc Selyni regnum, fluxos & uertere fundo
Auroræ populos liceat nunc agmine facto,
Vincere nam noſtrum eſt, ergo frondentis oliuæ
Spargamus ramos, Arabi ſpargentur odores
Inter uictrices lauros, nunc quisq. triumphos
Quisq. ferat, laudetq. Deos, & numina adoret.
Lilia fundantur paſſim, nunc cinnama, amoma,
Et ſtyraces uulgò fragrent, & thurea uirga
Vſta peregrinis flammis, ueneremur acerra
Nunc ſuperos. Selynum ſolio detrudere ab alto
Tempus adeſt nobis auguſta è ſede reuulſum.
Nil uiuat aduerſus Romanas ducere gentes

Armatas iaculis acies, arcuq., pharetra;
Audentes bello, imbelles tamen ære micanti.
Vincere ſi noſtrum eſt, noſtra eſt uictoria ubiq.
Nunc ubi clara rubens detexit lumina Veſper,
Solis ad occaſum ſplendet ſeu roſcida Luna.
Lumina noſtriuagæ uincat Pharus æmula lunæ,
Attollatq. globos flammarum & ſidera lambat.
Sidera clara poli feriat candente fauilla,
Et liquidi ambroſiæ paſſim mittantur odores,
Fundanturq. ignes nocturni, Brixia quales
Nocte dedit medio cæli, terræq. uolantes.
Tot uigiles oculos quos circumq. eſſeda cernas,
Quot cælum ſtellas teneat ſub nubibus altum.
Quàm multæ aut zephyro Libyæ turbentur arenæ.
Atria nobilium tremulis ſplendentia flammis
Interea uideas commixtis igne tenebris
Obtutu longo e ſpeculis ſeu turribus altis.
Incenſa, & noctem flammis funalia uincant.
Turbine nunc piceo, flammiſq. calentibus aris.
Haud ſecus ac paſtor, bifidæ cui uincula mitræ
Sol ueluti irradiant ſolidoq. adamante pyropi
Cum canit ad ſuperos laudes, prece numen adorās,
Immani templo, populo ſpectante Cremonæ,
Tunc ardent lychni, tunc Thurea dona cremantur,
Thure calent aræ, notis & odoribus halant,
Ardenteſq. faces lucent, micat ignibus æther
Ordine flammarum longo, & faſtigia templi
Vocibus angelicis reſonant, reſonantq, canoris
Ordinibus uarij pulchra teſtudine poſtes.

Aera

Aera caua ingeminent ſonitus, noctuq. coruſcent,
Aſſiduusq. tubæ reſonare per æthera clangor
Perſudum incipiat; paſſim fragor intonet ingens.
Maior nulla datur uictoria, nec fuit unquam,
Fidere ſi ualeas monumentis ipſe priorum,
Vatibus aut credas, folijsq. hærere Sibyllæ
Haud dubites: Melius Dij noſtra incepta ſecundet.
Ergo ades Aonio rediens de uerbice Apollo,
Duxeris ut tecum Dryadas, Nymphasq. ſorores
In numerum, ut tantum nobis decus ordine pandes
Clio facta canens, plectrum dum pectine pulſat,
Det nobis reſerare modo, quæ digna cothurno
Prœlia ſunt, ſuperi quæ conceſſere beati
Felici euentu, atq. armis agitata ſecundis.
Pandite nunc Helicona Deæ, ſanctiſſima uatum
Numina, ferte choros alacres, cantusq. mouete
Terribili monitu, & celeri, totumq. per orbem
Carmina læta diu reſonent per ſaxa, per antra,
Et nemora, & ſcopulos, ſiluas per compita, perq.
Frondoſas lauros, capto nunc hoſte trophæa.
Hanc laudem referant ſacra & ſua tempora lauro
Deuincti ingeminent uates, quos quiſq. triumphos
Geſſerit, & meritæ mandent ſua nomina laudi.
Nil intentatum linquant, remq. ordine tantam,
Ordine quæq. ſuo referant. Nunc o mihi quantum
Lætitiæ, præſens ſi tunc ego Marte fuiſſem
Præſenti, uirtutem oculis quàm fortia patrum
Pectora tunc fuerim miratus, Gnoſia quando
Litora uel peterem, ſacra uel ſede repoſtum

Idalium, tutos portus, uel tuta relinquens
Corcyræ bello propugnacula. Tu mihi plauſum
Ergo age muſa refer, noſtroq. occurre labori.
Decidit in caſſes iam tandem præda petita,
Hoſtibus, & domitis oriens nos ſpectat ouantes
Dicite io pæan, & io bis dicite pæan
In triuijs pueri, matres, iuuenesq. ſenesq.
Quare agite o ſocij, poſtquam uictoria ueſtra eſt,
Ite ſimul, pugnate ſimul, uictoria ueſtra eſt.
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,
Omnibus hic uiridi cingantur tempora lauro,
Atq. Deos, atq. aſtra ſimul celebrate colentes.
Læti omnes ſuperis uictricia dona ferentes.
Roma potens armis, tuq. ò Mauortia pubes
Ferte animum, nunc ferte precor, pia numina poſcũt
Pontificis ſacri pelago dare uela patenti,
Horribiliſq. leo ſimul adſit, uel Iouis ales,
Vnguibus exertis diſcant lacerare tyrannum.
Ille Leo horribilis, totum mugitibus orbem
Implens, & lanians immanis dentibus hoſtem.
Expectata diu tuq. adſis Gallia, tuq.
Iſter ades, tantum decus aſpice, neu fuge tanta
Virtutis laudem, ſimul adſint orbe Britanni
Diuiſi, unanimes armati in prœlia fratres.
En Tagus auriferis, en præſens Bætica, arenis,
Extremiq. hominum Morini, Rhenusq. bicornis,
Et coniurato deſcendens Dacus ab Iſtro.
Nunc ſimul auxilium accipiant, ſocia agmina iungãt
Errantis pelago claſſis captiua reducta eſt

Hoſtis

Hoſtis, & occiſis multis cum millibus ære,
Aere cauo, ingentes flammas tum ſæpeuomente.
Nunc maiora uocant ſuperi ad certamina, nosq.
Dignos eſſe iubent ſpolijs, magnisq. triumphis.
Aſpice ut Auſtriacus condenſis ictibus heros,
Creber utraq. manu pulſans, uimq. ordine pellens
Tela inter media, atque aduerſos comprimit hoſtes,
Tantum ſæpe fuga uerſos ille egit in hoſtes
Armipotens, egit, diſcinctos uicit & Afros,
Threicios inter medios, ardenſq. uocanſq.
Vnanimes ſocios, paribus concurrere telis.
Nec mora, nec requies, nunc belli inſigne decorum
Hoſtibus è domitis capiat, uictorq. triumphans
Terrificis Halyn telis, iaculiſq. trementem
Conterat, & ferro ductorem inſpicet acuto
Tranſtra, per & remos, actum iuuenilibus armis,
Auulſumq. humeris caput, & ſine nomine buſtum
Oſtentare iubens ſocijs, rebuſq. potiri
Impauidus iaculis, uaſtiſq. molaribus inſtet.
Spes ergo arrectæ, iuuat hunc uiciſſe ſuperbum,
Captiuaſq. omnes una traxiſſe triremes
Litus in Heſperium, & tanto gaudere triumpho
Arcibus aerijs Phæacum, ubi præda repoſta eſt.
Venerat huc Halys, rabiemq. huc traxerat omnem.
Nuper, & ille uiros, ſegetes, populatus, & arua
Clamore horrendo, & rumore accenſus amaro
Omnia Vulcano inuoluens, manibuſq. profanis
Committens, miſeros ciues paulo ante trucidans
Infandum, templis qui nunquàm parcere diuum

Neſciat,immitis lacrymoſis uocibus implens
Omnia, ſed tantam miſerati uoce preceq.
Verterunt mala cuncta bonis Dij numine peſtem.
Namque Halyn fidentem armis, & uana tumentem
Corcyra extinctum, & captam cum milite claſſem
Actutum uidit, dantem pro crimine pœnas.
Proijce tela manu, ſceptrum, pulchramq. tyaram
Proijce, uerba ſonent ultricia plena minarum
Bellorum omne genus, furijs incenſus in hoſtes,
Nos Selynum ad bellum præſenti Marte uocamus.
Quid dubitas ſæuire modo? fruſtra omnia tentas
Prœlia, ſeu aditus, circundant undiq. qui te
Tam mare, quàm terris, & apertis quærere campis
Inſtituant, uiden' ut ſi auſint committere pugnæ
Ardentes acies, campo ut ſtent agmina aperto?
Aere renidenti longas duc ipſe cohortes
Ingenti bello, atque iterum duc ipſa triremes.
Dubius an neſcis quia Mars nunc errat in armis?
Iamq. debes ſpoliata uiris rebuſq. ſecundis
Tradere regna tuo perfuſo ſanguine. Læta
Illa dies tandem uenit, qua reddere iura
Cuncta debes uictoribus, armaq., & Oſtro
Perfuſas ueſtes, argenti auriq. talenta.
Ne dubites, nã quicquid habes, ſeu quicquid ubiq. eſt
Regnorum, (non eſt fas quenquam fidere regnis)
In uentum, & rapidas undas, lateq. profundes.
Nunc igitur ſtultum eſt uanis te credere rebus,
Compoſitum medijs turmis peditumq., equitumq.
Vince animum, compeſce tuum, compeſce furorem

Crudelis,

Crudelis, Christvmq. Devmq. fidemq. uetuſtam
Vane quid affectas animas abolere beatas?
En tibi dirarum ultricum quæ maxima turba?
In flammas & in arma dedit, quæ triſtis Erinnis
Præcipitem, & tandem te immani turbine adegit?
Frangas ut pactum fœdus, promiſſaq. iura?
Quis fremitus tantus, tibi quæ mens effera bello?
Vt rueret claſſis multo cum milite in Oras
Idalias, legis, ſeu pacis uincula rumpens?
Quam tu, quæ genitor dederas iam pacta Leoni.
Quid tibi cum regno eſt Cythereæ? credis inultam
Lamentis, gemituq., & fœmineo ululatu
Affore nunc Cyprum? ſparſaſq. ad ſidera uoces
Incaſſum emiſſas? lacrymas? mœſtumq. timorem?
Nil tibi præclaras humeris geſſiſſe pharetras
Proderit, aut uirtus, quam ſolus ponis in armis
Victus abis, ſed multa gemens, odia aſpera fundens
Ob claſſem amiſſam, & combuſtas igne triremes
Vltriceſq. Deos illudens, iura, fidemq.,
Vlciſci regnum, & ſceleratas ſumere pœnas
Numina nulla putas? quòd bello occurrere in armis
Haud liceat nobis, acies pluresq. cohortes
Duxeris, Imperium & poſſis cuſtode tueri?
Quòd tibi cælati argentiq., auriq. metalla
Plura dari uideas, populi & tua iura reſeruent,
Tormenti genus omne etiam, quod mœnia poſſit
Fulminis in morem, & uitas diſpergere in auras,
Nec tibi ſuccurrit rebus quam ponis inanem
Speſq. metuſq. ſcio pacem mortalibus unam

In manibus terræ. Quid enim? uictoria diuis
Accipitur magnis, Quoniam uiciſſe Deorum eſt.
Vlterius tentanda uia eſt, modo ſoluite uela,
Nicopolis nunc mæſta dolet, timet aſpera ſaxis
Ardua diues opum modo Neritos, ingemit ipſa
Smyrna fugam pedibus, Salamin meditantur Athenę
Argòs, Ius, Colophon propugnacula tuta repoſcunt
Seſtos & interea uentoſa per æquora Abydos
Ingentem claſſem & dudum timuere ruinam
Nunc ſimul Iſmarias ergo penetremus ad urbes,
Altaq. Pangæa, atque Hebrum, fineſq. Getarum,
Eoaſq. domos Arabum lacrymabile bello,
Auroræq. ſequi populos nunc quiſque paratus,
Ad Lelegas, Caraſq., ſagittiferoſq. Gelonos,
Et Methymnæi potiamur litore Lesbi.
Non Citherea Paphi defendet mœnia, & oras
Quas colit Idalij? bello non percita iniquo
Arma Iouis capiet, Stygijs ut merſus in undis
Procumbat Selymus. Dea regem iniuſta petentem
Pelle tuis regnis, montemq. animumq. piorum
Tolle modo, quid tantum ceſſas? en tibi Mauors
Nunc facilis, multas acies, & fortia bello
Corda uirum experiare licet, quidq. Itala tellus
Armis terrificis ualeat concurrere in hoſtem.
Tu Dea, tu præſens adſis, tu diua Dearum
Alma Dei genitrix (Venerē ſperno, haud moror ullā)
Et miſſos facio diues, nymphaſq., Deaſq.,
Iuppiter, aut genitor, Pallas, ſeu pronuba Iuno
Monſtra Deum haud adſint, Martē, nec nomina ponti,

Non fontes fluuioſq. uoco, quas priſca ſolebat
Gens colere, & paſſim magnos indicere honores.
Sed te, ò ſtella maris, noſtros miſerata dolores,
Suppliciter poſco cum nato, nam ſimul omnes
Carmine mortali colimus, ueneramur, amamus
Te immortale decus. pedibus micat aurea Phœbe
En tibi, ſole uelut diuinum corpus amictæ,
Ignea quæ aſtra premis, rutilis redimita corollis.
Tu Dea, tuq. fauens inceptum perfice bellum,
Semper ades, natiq. tui pia pignora cari,
Hanc tutare fidem, & magnis defende periclis.
Sis genitrix, omnis curæ, caſuſq. leuamen.
Tu pater omnipotens, cui rerum æterna poteſtas,
Vos quoque Cælicolæ magni aſpirate canenti.
Ne prohibete, (ſatis iampridem ſanguine noſtro
Infandæ gentis luimus periuria Thracum)
Virtutis magnæ laudem, ſpoliiſq. potiri.
Sis præſenſq. fauens alti fabricator Olympi,
Da facilem curſum, noſtroq. occurre labori.
In primis tutare ſacrum tutare patremq.
Numina digna Pij Paſtoris ſuſtine, & illum
Da pater hunc almum multos durare per annos
Paſtorem, immortale genus, ſanctumq. Piumq.,
Multa uirum uoluens durando ut ſecula uincat
Aethereas reſerare fores cui claudere ſoli
Ius datur, & ſontes animas depellere ad Orcum,
Da pater ut uitam plures traducat in annos,
Ille regat proprijs totum uirtutibus orbem,
Concordes precibus reges, iuſſuq. tremendo

AD ALOYSIVM MOCENICVM, SERENISSIMVM VENETAE REIPVB. PRINCIPEM, Carmen Triumphale; ſiue, ob Venetæ Claſſis Victoriam, Σύγχαρμα.

IACOBI DEMII, HAGANI, BATAVI.

QVIS nouus Auſonijs ſuccedens Nũtius oris,
Anxia lætitia perfundit pectora mira?
Num, circumuolitans Italã Victoria claſsẽ,
Threijcio Venetos tepefecit ſãguine cultros
Ipſe ſuis populis palmæ conceſſit honorem,
Quo ſibi ſacra die, ac ſolennia feſta parari
Vidit, qui præſens huic DIVVS *præſidet vrbi*
Huc ades, uſque piæ faueas VICTORIA *genti.*
Non hac turicremis adolebit Numina flammis,
Non melior Diuum templis indicet honorem.
Huc ades, uſque piæ faueas VICTORIA *genti*
Ecce fauet: Laceris iacet impius undique ſignis
Barbarus, & uinctis trahitur poſt terga lacertis
(Non ut pollicitus) VENETOS *uiſurus ouanteis.*
Pande Trophæa citò uictrix Mauortia claſſis.
Mox & io ingeminet, Vox, iò, læta Triumphe.
Ille, Giganteo qui temnens Numina faſtu,

Opprimit infeſto Byzantia litora ſceptro,
(Faucibus anguſtis quà nunc Mæotida pandens
Boſphorus uſque fremit, ſimilis freta ſtrata Tyrannus
Quod ſua Perſarum traiecerit agmina ponte)
Aemathios, Cilicas, Medos, Lydoſq., Phrygesq.,
Aſſyrios, Arabas, Phœnices, Biſtonioſq.
Quotquot & Eurotas, & Tigris, Nilus & Hebrus,
Atque altus rapidis Euphrates proluit undis,
Et quotquot radijs populos ſol luſtrat Eois,
Inſtructas pharetris acies, Lycijſq. ſagittis
Nauibus abdiderat, minitantia fulmina claſſi
Excidium Heſperiæ, & tætro infectura ueneno,
Ah, maris Adriaci Dominam, & Neptunia Regna.
Non ita Cecropiam tremefecit Pallados vrbem,
Cùm, ferus inſultans, induceret horrida Graijs
Semiuir indomitis Perſarum examina Xerxes;
Non ita, cùm Pœnus, uel cùm Regina Canopi,
Vel ratibus fretus Libycis inferret Iberus
Arma Ioui Latio, Mauortia territa Roma eſt;
Vt cùm Tænario prorumpens Cerberus antro,
Perculit Adriacas Stygijs latratibus undas:
Obuia quæque uorans flammis, ac dentibus atris
Immani lanians feritate, innoxia CHRISTO
Sacri terga gregis, rabido bibit ore cruorem.
Proditor, & pacti uiolator fœderis, almæ
Contemptor Pacis, non conditionibus æquis,
Non ullis unquam precibus placabilis iræ,
Tandem mole tua Briareu metuende ruiſti:
Nunc toties meritas ſuperis dabis improbe pœnas.

Ob ſcelera Eumenidum diris plectenda Colubris
In te iuſta Dei ſtatuit uindicta, ſuperbis
Exempla obſeruanda, ac formidanda Tyrannis.
Huc ades, uſq. piæ faueas VICTORIA *genti:*
Non hac turicremis adolebit Numina flammis,
Non melior DIVVM *templis imponet honorem:*
Huc ades, uſque piæ faueas VICTORIA *genti.*
DIVE *Pater populum ſeruaſti;* MARCE, *Clientem;*
Qui tua nunc onerat ſacris altaria donis.
Nil tibi, MARCE, *neget ſummi regnator Olympi.*
TVQVE CAPVT PATRIAE *(Veneti quē clara Sena-*
MOCENIGE *decus generis; columenq. tuorū, (tus,*
Conſilio, & uirtute uirum, meritiſq. potentem,
Tot conſcriptorum delegit CVRIA *Patrum;*
Aurea quo demum VENETIS DVCE *ſecla redibūt)*
Suppliciter decerne preces, turiſq. Sabæi
Munera fer gratus Diuum Genitoris ad aram.
Barbaricis altum ſpoliis, ſigniſq. Trophæum
Nobile, conſtituas ſeclis monimenta futuris
Triſtia ſollicitis ſoluantur pectora curis.
Claſſica, nautarum mixto clamore, triremes
Ritè canant: pictis Ductores puppibus auro
Splendida nauali uibrent uexilla corona.
Tecum, uictrici redimitus tempora lauro,
Lætitia exultet populus: noua gaudia paſſim
Publica teſtetur parti uaga flamma Triumphi:
Tympana, cum Cytharæ ſtrepitu, leuibuſq. choreis,
Et tormentorum tonitru, & clangore tubarum.
Quin etiam referat memores, modo quicquid ubiq.
Gentis

Gentis ad occiduas Eois Numen ab oris
Vnius uſque colit, ternumq. unumq. fatetur,
Aeternum ſuperis grates Pæana canendo.
Ne tamen interea ſucceſſu læta Triumphi,
*V*RBS *opulenta uiris, opibuſque beata, ſuperbos*
Attollas animos nimium, aut delicta peractis
Deteriora malis iteres, repetasq. caueto.
Nam faſtus exoſa graueis Rhamnuſia uirgo,
Obruit aduerſis hominum exultantia lætis
Corda: etenim fluere hinc, retro et res lapſa referri
Sæpe ſolet populis ira deſerta Deorum:

DE VENETIS, AC TVRCIS, Suffragantibus Numinibus.

*F*AMA *eſt, unanimes, concordi fœdere, Fratres*
Diuiſas orbis ſorte tuliſſe plagas;
Neptuni ut Pontus, Iouis arduus æther, at atra,
Tartara Plutonis, cum Styge, regna forent:
*Pars tamen imperio, numeroq. beatior, V*RBEM
*A*DRIACAM *cælo prouehit, atque mari.*
*Annuit hinc V*ENETIS *cæli Deus ætheris arcem,*
Et ſuper aſtra pios præpete uectat aue;
Hinc dat & æquoreis dare iura Tridentifer undis,
Turgida & appoſitis tendere uela Notis.

Poſthabitis Cybele Phrygibus dat & alma, Leonum
Flectere in Eoos colla tremenda canes.
Aeneadum Genitrix, hos inter fœdera Diuos,
Perpetua iungit ritè colenda fide.
Freta his numinibus Pelagi Regina, ſuperbos
Threiicij faſtus fregit, & arma Ducis:
Quem fouet, ut pareat, niſi cauerit, impius Orcus
Cumq. Hecate, Eumenides, Tænariusq. Canis.

PANEGYRICVS

OB CLASSEM CHRISTIANAM APVD Actium uictricem Io. Baptiſtæ Oliui Cremonenſis,

AD

ILLVSTRISSIMVM ET EXCELLENtiſſimum D. Sfortiam Pallauicinum Sereniſſ. Reip. V. Gubernatorem, & Generalem meritiſſ.

SOLVS ego hic tacitus, uideam cum cætera plauſu
Geſtire, & ſtudio paſſim exultare canēdi,
Nunc ſileā? & nunquam captis ego prælia pandam
Hoſtibus? ò liceat tantas deſcribere laudes,
Victricem & claſſem numeris comprendere noſtris,

Lætaq.

Lætaq. multorum populorum gaudia ferre
Nunc liceat, bis io pæan uos terq. triumphé
Dicite Clyſiades Nymphæ, quibus altus Apollo
Præſidet, in numerumq. choros celebrate canentes.
Tu decus Auſonidum, ſacra cui tempora lauro
Cinxerat armipotens gradiuus Sfortia, Enyo
Cinxit, & audentem bellis, armisq. potentem
Fecerat, huc adſis, noſtros & dirige greſſus,
Te facilem nobis præbe, & ſuccurre precanti.
Non ego cuncta meis ignota indictaq. primus
Verſibus amplecti exopto, per inania luſtrans
Verba, nec indignos ſenſus, nunc accipe Muſa,
Quæ dederat pulſane Chelyn Tymbræus Apollo.
Sacra canant Itali ſimul omnes numina, & amplam
Vnanimes captent claſſem, uictriciaq. arma
Arma ferant alacres, domitosq. oriente repoſcant
Regem ad ſupplicium præſenti Marte ſuperbum,
Nunc Selyni regnum, fluxos & uertere fundo
Auroræ populos liceat nunc agmine facto,
Vincere nam noſtrum eſt, ergo frondentis oliuæ
Spargamus ramos, Arabi ſpargentur odores
Inter uictrices lauros, nunc quisq. triumphos
Quisq. ferat, laudetq. Deos, & numina adoret.
Lilia fundantur paſſim, nunc cinnama, amoma,
Et ſtyraces uulgò fragrent, & thurea uirga
Vſta peregrinis flammis, ueneremur acerra
Nunc ſuperos. Selynum ſolio detrudere ab alto
Tempus adeſt nobis auguſta è ſede reuulſum.
Nil uiuat aduerſus Romanas ducere gentes

Armatas iaculis acies, arcuq., pharetra;
Audentes bello, imbelles tamen ære micanti.
Vincere ſi noſtrum eſt, noſtra eſt uictoria ubiq.
Nunc ubi clara rubens detexit lumina Veſper,
Solis ad occaſum ſplendet ſeu roſcida Luna.
Lumina noſtriuagæ uincat Pharus æmula lunæ,
Attollatq. globos flammarum & ſidera lambat:
Sidera clara poli feriat candente fauilla,
Et liquidi ambroſiæ paſſim mittantur odores,
Fundanturq. ignes nocturni, Brixia quales
Nocte dedit medio cæli, terræq. uolantes.
Tot uigiles oculos quos circumq. eſſeda cernas,
Quot cælum ſtellas teneat ſub nubibus altum.
Quàm multæ aut zephyro Libyæ turbentur arenæ.
Atria nobilium tremulis ſplendentia flammis
Interea uideas commixtis igne tenebris
Obtutu longo e ſpeculis ſeu turribus altis.
Incenſa, & noctem flammis funalia uincant.
Turbine nunc piceo, flammisq. calentibus aris.
Haud ſecus ac paſtor, bifidæ cui uincula mitræ
Sol ueluti irradiant ſolidoq. adamante pyropi
Cum canit ad ſuperos laudes, prece numen adorãs,
Immani templo, populo ſpectante Cremonæ,
Tunc ardent lychni, tunc Thurea dona cremantur,
Thure calent aræ, notis & odoribus halant,
Ardentesq. faces lucent, micat ignibus æther
Ordine flammarum longo, & faſtigia templi
Vocibus angelicis reſonant, reſonantq, canoris
Ordinibus uarij pulchra teſtudine poſtes.

Aera

Aera caua ingeminent ſonitus, noctuq. coruſcent,
Aſſiduusq. tubæ reſonare per æthera clangor
Per ſudum incipiat; paſſim fragor intonet ingens.
Maior nulla datur uictoria, nec fuit unquam,
Fidere ſi ualeas monumentis ipſe priorum,
Vatibus aut credas, folijsq. hærere Sibyllæ
Haud dubites: Melius Dij noſtra incepta ſecundēt.
Ergo ades Aonio rediens de uerbice Apollo,
Duxeris ut tecum Dryadas, Nymphasq. ſorores
In numerum, ut tantum nobis decus ordine pandes
Clio facta canens, plectrum dum pectine pulſat,
Det nobis reſerare modo, quæ digna cothurno
Prœlia ſunt, ſuperi quæ conceſſere beati
Felici euentu, atq. armis agitata ſecundis.
Pandite nunc Helicona Deæ, ſanctiſſima uatum
Numina, ferte choros alacres, cantusq. mouete
Terribili monitu, & celeri, totumq. per orbem
Carmina læta diu reſonent per ſaxa, per antra,
Et nemora, & ſcopulos, ſiluas per compita, perq.
Frondoſas lauros, capto nunc hoſte trophæa.
Hanc laudem referant ſacra & ſua tempora lauro
Deuincti ingeminent uates, quos quisq. triumphos
Geſſerit, & meritæ mandent ſua nomina laudi.
Nil intentatum linquant, remq. ordine tantam,
Ordine quæq. ſuo referant. Nunc o mihi quantum
Lætitiæ, præſens ſi tunc ego Marte fuiſſem
Præſenti, uirtutem oculis quàm fortia patrum
Pectora tunc fuerim miratus, Gnoſia quando
Litora uel peterem, ſacra uel ſede repoſtum

Idalium, tutòs portus, uel tuta relinquens
Corcyræ bello propugnacula. Tu mihi plauſum
Ergo age muſa refer, noſtroq. occurre labori.
Decidit in caſſes iam tandem præda petita,
Hoſtibus, & domitis oriens nos ſpectat ouantes
Dicite io pæan, & io bis dicite pæan
In triuijs pueri, matres, iuuenesq. ſenesq.
Quare agite o ſocij, poſtquam uictoria ueſtra eſt,
Ite ſimul, pugnate ſimul, uictoria ueſtra eſt.
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,
Omnibus hic uiridi cingantur tempora lauro,
Atq. Deos, atq. aſtra ſimul celebrate colentes.
Læti omnes ſuperis uictricia dona ferentes.
Roma potens armis, tuq. ò Mauortia pubes
Ferte animum, nunc ferte precor, pia numina poſcũt
Pontificis ſacri pelago dare uela patenti,
Horribilisq. leo ſimul adſit, uel Iouis ales,
Vnguibus exertis diſcant lacerare tyrannum.
Ille Leo horribilis, totum mugitibus orbem
Implens, & lanians immanis dentibus hoſtem.
Expectata diu tuq. adſis Gallia, tuq.
Iſter ades, tantum decus aſpice, neu fuge tanta
Virtutis laudem, ſimul adſint orbe Britanni
Diuiſi, unanimes armati in prœlia fratres.
En Tagus auriferis, en præſens Bætica, arenis,
Extremiq. hominum Morini, Rhenusq. bicornis,
Et coniurato deſcendens Dacus ab Iſtro.
Nunc ſimul auxilium accipiant, ſocia agmina iungãt
Errantis pelago claſſis captiua reducta eſt

Hoſtis, & occiſis multis cum millibus ære,
Aere cauo, ingentes flammas tum ſæpeuomente.
Nunc maiora uocant ſuperi ad certamina, noſq.
Dignos eſſe iubent ſpolijs, magniſq. triumphis.
Aſpice ut Auſtriacus condenſis ictibus heros,
Creber utraq. manu pulſans, uinq. ordine pellens
Tela inter media, atque aduerſos comprimit hoſtes,
Tantum ſæpe fuga uerſos ille egit in hoſtes
Armipotens, egit, diſcinctos uicit & Afros,
Threicios inter medios, ardenſq. uocanſq.
Vnanimes ſocios, paribus concurrere telis.
Nec mora, nec requies, nunc belli inſigne decorum
Hoſtibus è domitis capiat, uictorq. triumphans
Terrificis Halyn telis, iaculiſq. trementem
Conterat, & ferro ductorem inſpicet acuto
Tranſtra, per & remos, actum iuuenilibus armis,
Auulſumq. humeris caput, & ſine nomine buſtum
Oſtentare iubens ſocijs, rebuſq. potiri
Impauidus iaculis, uaſtiſq. molaribus inſtet.
Spes ergo arrectæ, iuuat hunc uiciſſe ſuperbum,
Captiuaſq. omnes una traxiſſe triremes
Litus in Heſperium, & tanto gaudere triumpho
Arcibus aerijs Phæacum, ubi præda repoſta eſt.
Venerat huc Halys, rabiemq. huc traxerat omnem.
Nuper, & ille uiros, ſegetes, populatus, & arua
Clamore horrendo, & rumore accenſus amaro
Omnia Vulcano inuoluens, manibuſq. profanis
Committens, miſeros ciues paulo ante trucidans.
Infandum, templis qui nunquam parcere diuum

Neſciat,

Neſciat, immitis lacrymoſis uocibus implens
Omnia, ſed tantam miſerati uoce preceq.
Verterunt mala cuncta bonis Dij numine peſtem.
Namque Halyn fidentem armis, & uana tumentem
Corcyra extinctum, & captam cum milite claſſem
Actutum uidit, dantem pro crimine pœnas.
Proijce tela manu, ſceptrum, pulchramq. tyaram
Proijce, uerba ſonent ultricia plena minarum
Bellorum omne genus, furijs incenſus in hoſtes,
Nos Selynum ad bellum præſenti Marte uocamus.
Quid dubitas ſæuire modo? fruſtra omnia tentas
Prœlia, ſeu aditus, circundant undiq. qui te
Tam mare, quàm terris, & apertis quærere campis
Inſtituant, uiden' ut ſi auſint committere pugnæ
Ardentes acies, campo ut ſtent agmina aperto?
Aere renidenti longas duc ipſe cohortes
Ingenti bello, atque iterum duc ipſa triremes.
Dubius an neſcis quia Mars nunc errat in armis?
Iamq. debes ſpoliata uiris rebuſq. ſecundis
Tradere regna tuo perfuſo ſanguine. Læta
Illa dies tandem uenit, qua reddere iura
Cuncta debes uictoribus, armaq., & Oſtro
Perfuſas ueſtes, argenti auriq. talenta.
Ne dubites, nã quicquid habes, ſeu quicquid ubiq. eſt
Regnorum, (non eſt fas quenquam fidere regnis)
In uentum, & rapidas undas, lateq. profundes.
Nunc igitur ſtultum eſt uanis te credere rebus,
Compoſitum medijs turmis peditumq., equitumq.
Vince animum, compeſce tuum, compeſce furorem
Crudelis,

Crudelis, CHRISTVMq. DEVMq. fidemq. uetuſtam
Vane quid affectas animas abolere beatas?
En tibi dirarum ultricum quæ maxima turba?
In flammas & in arma dedit, quæ triſtis Erinnis
Præcipitem, & tandem te immani turbine adegit?
Frangas ut pactum fœdus, promiſſaq. iura?
Quis fremitus tantus, tibi quæ mens effera bello?
Ut rueret claſſis multo cum milite in Oras
Idalias, legis, ſeu pacis uincula rumpens?
Quam tu, quæ genitor dederas iam pacta Leoni.
Quid tibi cum regno eſt Cythereæ? credis inultam
Lamentis, gemituq., & fœmineo ululatu
Affore nunc Cyprum? ſparſaſq. ad ſidera uoces
Incaſſum emiſſas? lacrymas? mæſtumq. timorem?
Nil tibi præclaras humeris geſſiſſe pharetras
Proderit, aut uirtus, quam ſolus ponis in armis
Victus abis, ſed multa gemens, odia aſpera fundens
Ob claſſem amiſſam, & combuſtas igne triremes
Vltriceſq. Deos illudens, iura, fidemq.,
Vlciſci regnum, & ſceleratas ſumere pœnas
Numina nulla putas? quòd bello occurrere in armis
Haud liceat nobis, acies pluresq. cohortes
Duxeris, Imperium & poſſis cuſtode tueri?
Quòd tibi cælati argentiq., auriq. metalla
Plura dari uideas, populi & tua iura reſeruent,
Tormenti genus omne etiam, quod mœnia poſſit
Fulminis in morem, & uitas diſpergere in auras,
Nec tibi ſuccurrit rebus quam ponis inanem
Speſq. metuſq. ſcio pacem mortalibus unam

Non fontes fluuioſq. uoco, quas priſca ſolebat
Gens colere, & paſſim magnos indicere honores.
Sed te, ò ſtella maris, noſtros miſerata dolores,
Suppliciter poſco cum nato, nam ſimul omnes
Carmine mortali colimus, ueneramur, amamus
Te immortale decus. pedibus micat aurea Phœbe
En tibi, ſole uelut diuinum corpus amictæ,
Ignea quæ aſtra premis, rutilis redimita corollis.
Tu Dea, tuq. fauens inceptum perfice bellum,
Semper ades, natiq. tui pia pignora cari,
Hanc tutare fidem, & magnis defende periclis.
Sis genitrix, omnis curæ, caſuſq. leuamen.
Tu pater omnipotens, cui rerum æterna poteſtas,
Vos quoque Cælicolæ magni aſpirate canenti.
Ne prohibete, (ſatis iampridem ſanguine noſtro
Infandæ gentis luimus periuria Thracum)
Virtutis magnæ laudem, ſpoliiſq. potiri.
Sis præſenſq. fauens alti fabricator Olympi,
Da facilem curſum, noſtroq. occurre labori.
In primis tutare ſacrum tutare patremq.
Numina digna Pij Paſtoris ſuſtine, & illum
Da pater hunc almum multos durare per annos
Paſtorem, immortale genus, ſanctumq. Piumq.,
Multa uirum uoluens durando ut ſecula uincat
Aethereas reſerare fores cui claudere ſoli
Ius datur, & ſontes animas depellere ad Orcum,
Da pater ut uitam plures traducat in annos,
Ille regat proprijs totum uirtutibus orbem,
Concordes precibus reges, iuſſuq. tremendo

Qui teneat, ſacrum fœdus qui fœdere certo
Connectet, ſumatque pedum, fugat ipſe lupumq.
O bone Paſtor ades, pleno inſidiatus ouili
En lupus, ille agnos aditumq. per acria quærit.
Et fremit ad caulas hic aſper, & improbus ira,
Sæuit in abſentes agnos, ouiumq. magiſtros.
En bellum, globus ille uirum denſiſſimus urgens.
Succumbat uictus, noſtro nam fidere CHRISTO
Cuiq. placet, ductore hoc ſemper uincere noſtrum eſt.
Quid tibi cum cornu nigro eſt nunc aurea Phœbe?
Curq. reuertentis fratris non colligis ignes?
Cur geminos Soles rutilantes ſpectat Eous?
Lunatiſq. timet peltis? Cur ſanguinis inſtar
Sæpe notis (mirum eſt) maculoſis cernitur & Sol?
Impia num cernens Selym nunc facta tetendit
Arcum, nec pharetrâ celeres concluſit Apollo
Intonſus calamos, ferrumq., laceſſere ſuaſit,
Et nos arma ſequi; pallentis ſæpe uidemus
Ipſius in uultu uarios errare colores,
Dum maculæ incipiunt rutilo immiſcerier igni.
Auertit faciem Sol aureus, & ueluti flos
Langueſcit moriens, unco ſucciſus aratro.
Quin age ſurge modo uultum turbatus, & omnes
Auroræ in populos ultrices mitte ſagittas.
Phœbe potens lacrymas tandemq. ulciſcere noſtras,
Ipſe quidem hoc cupiens, potis es per tela, per ignes,
O ſate gente Deum, tenebras cui ius datur uni
Pellere noctiuagas, totum & tranſcurrere in orbem,
Mille neces rebus prope uerſis, mille ruinas

Ipſe dabis Turcis, noſtris nunc uiribus actis.
Ne prohibe ut ſerpens conſurgat Pithon in oras
Threicias, fundens per uulnera nigra uenenum.
Nunc armis cedant, en quantum Aegyptus, & Indi
Omnis Arabs, omnes nunc uertant terga Sabæi.
Nos iterum audentes uiciſſe hos poſſe putamus
Te duce Chriſte Deus, cui tanti pignus amoris
Romanas acies ſit debellare Tyrannum.
Boſphoreos ergo uideas detrudier hoſtes
Fulmine terrifico, pelagiq. aduoluier imo.
Dulcius his ſpolijs non ullo tempore quicquam
Vidimus, Alcidæ numero comprendere facta
Siue uelis, laudes poterit quis carmine dignas
Herculeas memorare premens eliſit ut angues
Atque Erymantheum, ſeu Lernam ut perculit aprum
Dulcius his ſpolijs non ullo tempore quicquam
Cernere erit, claros bis ſex auferte labores
Herculis ò ciues, quæ nunc uictoria fulget.
Hæc ingens, ſuperat magnos milleq. labores
Dulces exuuiæ, quas fata, Deuſq. dedere.
Quid memorem ingentes cædes quidq. effera facta
Ipſius capiti tandem uentura Tyranni
Gentibus è Libycis quæ mox ſpolia ampla dabuntur?
Dum certamen erit frenis concordibus unum?
Algira quid ſpectat, quo nunc fugitiue recurris
Occhialine ſenex? quod perlegis impie litus?
Nuſquàm tutus eris, latebras perquire latentes,
Remigio uolucri, Libyæ ſpelæa ferarum,
Vt lateas inſane citò te conde per alta,

Nulla

Nulla ſalus uerſis rebus dare terga, nec ullus
Vir fugiens ductor, meruit laudarier unquam.
Tu contra imbelles curſum celereſq. triremes
Siſte tuas, fugis? En qui te per tela, per undas
Inſequitur celeri curſu fortiſſimus heros,
Aurius aſſuetus bello, noſtram aſpice pubem,
Aſpice nunc Decios, Marios, magnoſq. Camillos,
Scipiadas duros bello, magnumq. Leonem,
Threicios quos ante furens timuiſſe putaras
Obtutu primo, & uerſos dare terga ſuperbis
Hoſtibus, ò tantæ mirabere præmia palmæ,
Romanaſq. acies uictrices inuide noſtras.
Vicerat hic quondam Aegyptum, uireſq. Orientis
Auguſtus Cæſar, captiuum hinc traxit & hoſtem,
Et leto domuit multas aciesq. cohortes.
Actia nec rurſum timuerunt litora bellum,
Sed timuit fugiens Regina Aegyptia, noſtros
Romanoſq. duces Antonius. Inde paratas
Subduxit, celereſq. (nefas) per lata carinas
Aequora, deuexit ſocios, portumq. reliquit.
Cæſar namque ſuos Italos in prœlia adegit
Multarum laudum cupidus, ſedeſq. locauit
Litus in Ionium, ſpolijs cumulatus opimis.
Hic tu deinde putas proprijs conſternere gentem
Viribus, aſſuetam bello, magniſq. triumphis?
Incaſſum furis, ergo animos bellumq. notabis
Agmina agens ductor, noſtris dare terga coactus,
Dum meliora parant cœptis, & uota ſecundant
Nunc ſuperi, ut uerſis uertantur cætera fatis.

O ſtirpem inuiſam, i uirtutem illude ſuperbis
Vocibus, & diſcas tela inter Martia quantum
Chaoniæ ualeant aquila ueniente columbæ.
Palladis armiſonæ, & Bellonæ cerne flagellum.
Haud poteris tandem populari cæde cruentæ,
Cedere qui nunquam ferro, qui uincier uſquam
Poſſe putas, præda ingenti exuuiijſq. ſuperbis
Nunc credas Italos, nunc Bethica regna trophæis
Læta ſuis, penetrant aulas, ut limina regum
Audentes, lectæq. manus, gens aſpera in armis,
Quæq. alio patriam quærat ſub Sole iacentem.
Inuenere uiam concordi numine noſtri,
Arcet & hic fidos agitans concordia fratres,
Regibus & nunquàm nullo diſcordia motu
Inceſſet, nullo ueniet diſcordia demens
Tempore, fœderibus iungentur fędera, ſacram
Cur in amicitiam coeant, bellumq. faceſſant.
Sic licitum eſt, ſeruant iſtum iam fœdus, & omnes
Compoſitas leges, concors concordia tandem
Hunc Selynum à ſolio poterit detrudere ab alto,
Centenis nodis paribus deuincta cathenis
Clauditur in tenebris Atæ, quæ carcere nigro
Obruitur, condunt hanc atris noctibus umbræ.
Quid multa hic moror? ab lucis uos condite opacis
Pangæi, ſinite arma uiris, & cedite ferro.
Luſit imaginibus falſis uos uana magiſtri
Illa ſuperſtitio, noſtriq. ignara parentis.
Adiuro Stygias undas, Erebumq. profundum,
Tergeminamq. Hecaten, ſceptrum, ſeu nomina Ditis

Vos falſis tabulis uanis mendacibus eſſe
Illuſoſq. diu deceptos relligione.
Monſtra Deum omnigenum uos dudum carcere cæco
Detinuere, dolos cognoſcite, mentem animumq.
Soluite, nec falſis placeat nunc fidere Diuis.
Ludificata Dei Chriſti cur ſpernere templa
Infando indicio placuit? laticeſq. ſacratos
Spreuiſtis? nec cana fides arriſit Apellis?
In foribus templi exuuias, atque ampla trophæa
Victores proceres media & teſtudine Diuum
Ergo alacres ponant, inſignia capta ſuperbis
Hoſtibus, & fixis exultent templa coronis.
Infenſiq. omnes meritas modo ſoluite pœnas
Thuſſagetæ, & noſtro uictori cedite Laurum.
Tuq. decus noſtrum ceſſans cane Muſa receptus,
Hoſtibus & domitis iterum tu deinde redito,
Seu cum progenies magni uentura Philippi
Tunc aderit, magnos auſus mihi carmine pandes.
Lætaq. tunc ueniens totum celebranda per orbem
Gaudia committes numeris, fidibuſq. canoris.

Eiuſdem,

INFERORVM CONCILIVM, Halysq. Deſperatus.

D*VXERAT armatas Euro ſpirante Lyburnas*
Halys amẽs, remiſq. frequẽs eſt vecta trieris
Aequor in Ioniũ, et Naupacti ad litora tuti.
Tũc oĩs capta eſt, tunc Halys gurgite in alto
Obruitur,

Obruitur, miſeramq. animam depromit, & ipſo
Sanguine perfuſus, pelagi deuoluitur imo,
Auſonijs ictus telis, & caſus Iberis.
Nereidumq. choris, ſeu regnis Halys ab actus
Halys, qui nullos cælo, terraq. receptus
Inuenit, ò nimium Manes aditure ſeueros,
Quærenda en Ditis ſunt ſubterranea regna,
Quærendi & Manes Stygio nunc gurgite nigri.
Ille petit uaſtas rupes, quæritq. Sicanas,
Quæ uia ſit miſeris cunctis animoq. reuoluit,
Mox lucos, aditumq. explorans Halys Auernos,
Tartareis regnis cupit ille abſcondier imis.
Exclamans, poſiti ſub terra ò numina mundi,
Ferte citi hinc Halym, Halymq. irremeabilis unda
Claudat, ſtyxq. uadis liuentibus ambiat atra
Me inuiſum ſuperis, phlegethon perluſtret anhelis
Gurgitibus, rapidis flammis, quique æſtuat igne.
Horrida me teneant uario nunc flumina curſu
Errantem, reſonas Cocytus ſanguinis atri
Vorticibuſq. furens ſpumanti in gurgite captum
Me me habeat magnis Diuis regiq. Deorum
Iurari dignata palus, ſtyx ſulphura uoluens,
Sedibus & nigris Acheron me claudere diſcat
Fluctibus ut expes læthæis condar in altis.
Portitor aſt ſenior, cymba qui flumina tranat
Vidit ut has ſontes animas, Halymq. ſuperbum
Aſtitit, atque animam fugientem ad tartara uexit.
Ille etenim gaudet Stygias innare per undas
Quem uectare iuuat prædam & depellere ad orcum

Ianua (dum leua inceſſit) deuincta cathenis
Ex templo patuit, Ditis tunc regia nigri
Et magnæ ſcelerum facies, immania monſtra.
Admittuntq. Halym, mœrentem, & fata uocantem
Triſtia, tunc uideas Manes occurrere eunti.
Noctiuagaſq. umbras, laruas, lemureſq. minaces,
Tergeminumq. canem, tetro qui ianitor antro
Latratu æternum Plutonia regna trifauci
Cuſtodit (referens horreſco) territus Halys
Obtutu eſt primo, lacrymis luctuq. tremiſcit
Arrectæq. comæ miſero, & formidine preſſo
Vox hærens, tardos nequicquam extendere curſus
Velle uidetur & medijs conatibus æger
Subſtitit incaſſum, tenebris nam uinctus in ipſis
Ducitur ad Regis Rhadamanthi tecta uetuſti.
Aeacus Europæ, Rhadamanthus crimina diſcit
Gnoſius Auroræ populorum, Aſiamq. domando
Fit ſolio iuſtus iudex ſpectabilis alto.
Continuo erumpunt portis, & ſedibus illis
Fit ſtrepitus, nigros implexæ crinibus angues
Eumenides adſunt, accurrit pallidus Orcus,
Accurruntq. umbræ paſſim, Luctuſq. Pauorq.
Aduentante Haly, nec triſtis mortis imago
Longe aberat, comites ueniunt ex ordine diræ.
Ille uocat regem, & Plutonia quærere regna
Haud dubitat, tetra ſedet iſte inglorius arce,
Flammarumq. globos uoluens, lucemq. peroſus
Scire optat Manes adeat cur ille profundos,
Actutumq. uocans Halym, cur lapſus ad imum

Tunc

Tunc Herebum, ad Stygias nūquam reuocabilis undas
Venerit, effari iubet atris ſedibus Halym.
Incipit has miſeras ueniendi expromere cauſas,
Edocet atque umbras Halys, ſpargitq. per omnes
Tunc Herebi ſedes, combuſtas igne triremes,
Armorum fremitu captas ſeu turbine belli,
Aduentante Deo Chriſto, merſaſq. ſub undis,
Thuſſagetas omnes uinctos, Selinumq. trementem,
Horrentemq. diu pugnam (ſic fatur & inquit)
Perfuſus lacrymis, lamentis, atque ululatu,
Imperium extinctum iam iam dubitare, timere,
Quærere ſuppliciterq. rogans tunc illius ergo
Auxilium petere, & Ditis ſua numina uelle.
Conuenere omnes umbræ, pater ipſe uocatq.
Concilium Pluton, accurrunt undiq. Manes
Tartarei, facies omnes, per ſtagna, per antrum
Itque, reditq. clamor, ſequiturq. hunc infera Iuno
Nam neque Perſephones ualuit pietaſq. fideſq.
Noſtra nec Euridice potuit compeſcere nigros
Umbrarum cœtus, ſtrepit omnis gurgite Dæmon,
Rexq. Herebi regnum Chriſti producier uſquam
Non tulit immenſum, non æqua mente tulitq.
Luctifica Alecto, Diræ hoc uetuere ſorores,
Nocturnas ante aras, & ſolio ſedet alto
Immitis Pluton, quem progenies mala multa
Circumſtat, nigri concurrunt undiq. uultus
Ad Regem, uideas umbrarum adſtare phalanges.
Luctus, & ingentes morbi, triſtiſq. ſenectus
Et Metus, atque dolus, curæ ſtant, ſtat quoq. egeſtas

Horrenda uiſu facies, letuſq., laborq.,
Et tenues umbræ ſimul omnes luce carentum.
Conciliumq. petunt tales per limina peſtes,
Et ſopor, & bellum, atque Atæ Concordibus ipſa
Inſinuans artes uarias, pacemq. repellens.
Vlmus & annoſa hic pallentes excitat umbras.
His Briareus adeſt, flammiſq. armata Chymæra,
Gorgones, Harpyæ, uiroſæ & belua Lernæ.
Monſtra Deum omnigenum obſcuris qui ſedibus orti,
Nil niſi uerba ſonant ultricia, plena minarum,
Tantalus, Ixion, Tytion, Syſiphuſq., Dieſq.,
Noxq. atra, et malè ſuada fames, Acherontis imago.
Tartarea accurrens ſubitò, præſenſq. Megæra,
Et ſoror in tortis communis ſibilat hydris,
Hæc eadem Regis dictis obtemperat atri
Acta malo, Alecto Stygijs ſe concitat alis,
Natæ Herebo ultrices diræ, rabieſq., ſceluſq.,
Et conſanguinei ſimul omnes, ira, furorq.,
Maturare iubens greſſum tunc Gorgone ſæua
Ornæo celeri inuecta eſt pernicibus alis,
Ocior eſt Ethonis uento, Nycteuſq. fremendo
Currit Alaſtor equus, Regis dum iuſſa faceſſunt.
Haud mora, & ille furens animarū q̄ agmina in unū
Compellens Herebi Dux mentem animumq. popoſcit
Nigrarum umbrarum, & uerbis ita fatur, & inquit.
Ecquid erit tandem rebus labentibus ultro?
Cælicolum regnum, & Chriſtum patiemur in omnes
Terrarum fines labi, & ſua numina pandi?
Ventum ad ſupremum ſocij. ſpes omnis adempta eſt.

Scandite nunc ſuperas ſimul omnes currite ad auras,
Auroræ & populis, animo, mentiq., Deoq.
Quem falſo colere hi non ceſſant, proſpicite omnes.
Tartarei proceres, rebus ſuccurrite feſſis.
Læta modò en Chriſtus paſſim ſua gaudia pandit
Quidq. Halys referat, quæ nunc iam uicta reportet
Prælia Dijs ſuperis, audiſtis, pellimur omnes
Tartareis regnis, Stygijs reuocamur & undis,
Ni prius ultrices iras mittamus in hoſtes.
Thracia ne ſubeat Chriſti monumenta Deiq.,
Omnis Arabs, omnes dominentur iura Sabæi
Noſtra diu, nunc ſurgat adhuc diſcordia in oras
Aethereas, ſoluat pactum iam fœdus, & Ate
Omnia diſrumpat. Selynus ſua numina adoret.
Continuò exiliant umbræ, nec ſedis iſtis
Vlla quies adſit, ſuperis furor, iraq. mentem
Præcipitent Italis, neu poſſint rumpere in oras
Thuſſagetas, celeres adlabi Strymonis undas
Linquere tartareas ſedes, & regna malorum
Certatim hoc ſtudio Manes cupiere nocendi.
Erumpunt alacres portis fraudeſq. timorq.,
Terribiles uiſu formæ, ſpargitq. uenenum
Quæque ſuum, atque adeunt præſtanti nomine Reges
Magnanimoſq. duces, populos, ſanctumq. Senatum,
Et coniuratos agitans diſcordia fratres
Nequicquam effundit uirus, ſed uicta fatiſcit.
Irrita concilia, atque odijs agitata nefandis,
Cernere erit, fruſtraq. animis elata ſuperbis.
Hæc eadem dubitas diras uoluiſſe ſorores.

Commaculare arma, & fędus diſrumpere initum?
Cedite cantharides, ceſſent odia aſpera uobis
Lucifugi cœtus Manes, umbræq. procaces
Cedite, deiectæ flagranti flumine Olympi
Immundæ facies, ſæclis labentibus omne
Aeternumq. Dei regnum, Chriſtiq. ſacerdos
Ante aras ſtabit, plena qui ſpargat acerra
Continuo Myrrhæ liquidos, qui fundat odores.
Intactæ Auſonijs ſtabunt per ſecula leges.
Et Selyni regnum noſtris popularier armis
Quiſque dabit, quamuis Manes, Orcuſq., timorq.
Inferniq. omnes adſint, & regia Ditis
Suſpiciat Selynum lugentem, & fata dolentem.
Ergo agite ò ſacros fontes, pia numina, Diuos
Qui colitis, bello audentes, armiſq. potentes
Eſte precor firmis animis, rebuſq. paratis.
Vincere nam ueſtrum, uictos concurrite in hoſtes:
Spiritus & ceſſent picea caligine nigri,
Nunc omnes ſileant umbræ, Maneſq. profundi
Aduentante Deo Chriſto, Diuiſq. beatis,
Cælicolis, adſint præſentia numina cœptis.
Interea iuſſu Rhadamanthi iudicis Halys
Obrutus eſt tenebris, ut cæco carcere opacis,
Aeternoſq. focis uitam traducat in annos.
Nunc inter luctus, lacrymas, uncoſq. tridentes,
Hydras, ſeu ſphyngas, interq. horrentia monſtra.

TVRCIS AD ECHINADES SVPERATIS.

Io. Cargæ Aquileienſis Elegia.

Ad Io. Bapt. Campegiunt, Epiſc. Maioricenſem.

CHRISTE faue, tibi quiſq. uacat, tibi
quiſque ſalutem,
Victor ab immiti quam tulit hoſte, refert.
Quiſq. tibi donis cumulat ſolemnibus aras;
Et cumulat blanda myſtica dona prece.
Vndiq. flammarum radijs pia tecta relucent,
Frondeq. & aurato uellere culta nitent.
Et feſtis latè reſonant tinnitibus æra;
Et plauſu exiliunt, lætitiaq. uiæ;
O ego, ne ſolus poſſim ceſſare tacendo,
Quàm uelem laudes dicere CHRISTE *tuas.*
Tu precor inſpira mentem, tu ſuffice uires,
Tu mihi principium, tu mihi finis ades.
Tu ſola terrarum, tractus maris, ætheris orbes
Condis, & intus alis quicquid ubiq. uiget;
Et quacunq. libet, quando libet, omne potentis
Iuſtitiæ exerces, & pietatis opus;
Tu modò clade domas infandi monſtra Tyranni,
Et claſſem Ionijs obruis ultor aquis.
Illic perfidiæ pœnas det barbarus; illic
Inſignem prædam Pontus, & Orcus agat.
Tu ſcelerum uindex, hæc ò ſpolia ampla triumphi,
Quem uidet, & nondum concipit orbis, habe.
Vna dies, una hora tulit, quod temporis ætas

Nulla poteſt ueris explicuiſſe notis,
Quin potius; tanti Devs *eſt tua ſumma poteſtas:*
Ipſa fidem facti uix facit alma Fides;
Hoſtis erat, qualem tellus Aegyptia nunquam
Suſcepit, madido ſuſtinuitve ſinu.
Nec talem ſcelerata domus Phlegetontis auari
Expuit, aut Stygijs abdidit atra uadis;
Vera loquor, tu Chriſte, nefas non paſſus ab alta
Mitius humanum deſpicis arce genus,
In ſcelus Heſperias per fœdera cogis utraſq.
Vna fides ambas, unus obarmat amor.
Nec ſine mente tua Pivs *à te maximus, auctor*
Fœderis, omne ſubit, ſponſor, & obſes, onus;
Ipſe Pivs*, dirum exitium ſi pellere terris*
Non datur, ò fortes pellite, dixit, aquis.
Et uexilla Crucis, noſtræ monumenta ſalutis,
Tollite in obſtantes impia roſtra manus;
Dixit, & inſigni in mitra ſuper agmina latè
Ter bona ſigna manu, ter dedit ore preces.
Quiſq. alacris pia iuſſa facit; neq. ſegnius implet
Quiſq. fretum ratibus; milite quiſq. rates,
Italiæ flos omnis, & omnis Iberia feruet,
Præſtat & ille magis qui magis urget opus.
Aeratæ toto ducuntur litore moles,
Remigio parent æquora, uela notis.
Trinacria ex oculis abeuntum tota recedit;
Italia ex oculis tota repente fugit;
Hoc pelagi Dea *ſancta domo dum ſpectat ab alma*
Laureti, propius publica uota fouet,

Et

Et tu militiæ cæleſtis ductor ab æde
Gargani nobis duxq. comesq. uenis.
Ipſe tenes manibus clauos, regis ipſe rudentes,
Et Zephyrum exploras, & uada cęca mones.
Ergo uix Ithacam, uix te legit alta Zacynthos
Noſtra per Aegeas claſſis itura uias,
Ecce aduerſa ruit lunatis alter a uelis,
Nulla mora eſt, Mundi iam coiere manus.
Miſſilibus cælum gladijs, & ſtrage carinæ,
Decolor effuſſo ſanguine inhorret aqua.
Iamque palam gelidus pauor & fera mortis imago
Occupat infidos, ſubſequiturq. duces.
Turba natat, ferro, & flammis extincta per undas;
Vix pauci uinclis, uix ſuperantq. fugæ.
Puppibus at contra reſidet Victoria noſtris,
Serta gerens capiti, ſceptraq. mille manu;
Tunc Sol luce noua illuxit; uolat ocyus Ales
Nuncius æterni Numinis ante pedes.
Atq. ijs, qui uita nobis peperere quietem,
Præmia cælicolum regna beata petit.
Annuit Omnipotens; cæli Regina micanti
Ipſa triumphantes excipit axe choros.
Fœlices animæ, necis eſt ea gloria ueſtræ,
Quod breuis hora facit tam bene in aſtra uiam,
Vos quoq. fœlices ò qui manſiſtis in armis,
Heroes certe, ſemideumq. decus,
Nondum ueniſtis, nondum uidiſtis, & illum
Viciſtis, terror qui prius orbis erat.
Scilicet & ueſtro cecidit Mars Thracius enſe;

Et bella in ſæuos ſunt procul acta Getas.
Per uos omne feris uacuum prædonibus æquor
Explet inoffenſas diuite merce rates,
Per uos uictor ouat Christvs. *quæſita per aras,*
Hæc ſunt Campegi *gaudia magna tibi,*
Hoc animo uoluis, dum publica commoda tecum
Suſpiras, humili ſollicitaſq. prece.
Exigis hoc, quoties pondus graue diuidis auri,
Hinc partem tantæ tu quoq. laudis habes.
Gratia tota Deo. *date uos modo iura Quirini*
Sanguis ab Adriaco per freta uaſta ſinu,
Vno tercentum amittit certamine naues,
Improbus, & ueſtras dupplicat hoſtis opes,
Iamq. nihil maius Venetis naualibus uſquam,
Iamq. nihil uobis ſanctius orbis habet,
Vos cauſa, uos conſilio, uos uincitis armis;
Seruiat ô Veneto uentus, & unda Duci.
Terra Pivm, *Regeſq. pios, quibus imperat ille,*
Poſtulat, inq. pias dat ſua iura manus.
Et fortunatas luces, æuumq. beatum
Concipit, & primi tempora prima ſenis.
Votaq. communeſq. preces conatur ab imis
Viſceribus tali ſæpe iterare ſono.
Christe *pater mea regna tuis uirtutibus alter*
Maior Cæſaribus qui moderetur adeſt.
Nuncq. iterum, ceu te genuit quo tempore Virgo,
Aurea pacatus ſæcula Mundus aget.
Nam tibi dilectum nomen, tua cura Ioannes
Captiuo redimit libera colla iugo.

Occultos abigit ſub Tartara cæca tumultus,
Inq. Arabes miſeram, Maſſagetasq. famem.
Poſcit ab Aurora tibi regia dona remitti,
Naſcenti puero quæ prior illa tulit,
Poſcit ab edomito nondum cuſtode ſepulcrum,
Quod tua Mors nobis, quod tua Vita fuit.
His ò CHRISTE *precor cœptis, his annue uotis,*
Gloria Victoris, Gloria tota tua eſt.

AD PIVM V. PONT. MAX. IN VICTORIAM PARTAM De Claſſe Turcica.

THOAE CORRAEAE ELEGIA.

*S*ANCTE *ſenex, cuius monitis, qui tempe rat orbem.*
Temperat imperij ſceptra priora ſui.
Inſignis pietate Heros, qui primus ab illo es,
Qui magnum hoc mundi Rex moderatur opus.
En tibi poſt domitas hoſtili ab litore gentes,
Salua redit Scythicis claſſis onuſta opibus.
Quæ duce te ſancto coierunt fœdere puppes
Exuuias referunt, & ſpolia ampla Getæ.
Et maiora parant faciles tibi gaudia Diui.
Gaudia non priſcis cognita temporibus.
Aſſueta Hadriacas pinus Getula per undas

Vincere,

Vincere, iam uictas ſubijcit illa manus.
Experta eſt iuſtos gens truculenta furores,
Et cecidit forti Thrax, Numidæq. manu.
Amiſſas luget prædatrix Africa puppes,
Et Rhodos, & ditis qui colit arua Phari.
Qui Helleſpontiaco clauduntur gurgite, cæde
Audita triplicis claſſis ad arma pauent.
Miſſæq. ab Hiſpanis puppis, Venetæq. Carinæ,
Et quas auxilio das Pie Quincte rates;
Vt primum Ionias uictricia ſigna per undas
Explicuere, Getæ diripuere trabes.
Quidquid ideſt, per te partum eſt, ea gloria palmæ
Tota tua eſt; per te tot coiere duces.
Corripiant ut tela mones, contraria ſignis
Signa ferant ſuades, pandere uela iubes.
Opponant ratibusq. rates; atque enſibus enſes
Diſtringant, iaciant ære tonante faces.
Arma omnes uno ore fremunt; arma, arma iuuentus
Reſpondet; Bellum ſuadet inire Pius.
Ergo ades, atque initum fœdus firma; impiger aude
Pro ſancta reges ſollicitare fide.
Et quos concordi iunxiſti nuper amore
Fac durent, ſuade fœdus inire alios.
Per te ineant acies, per te uictricia figant
Signa per extremos, qua patet unda, ſinus.
Perge ingens pietate Heros Dijs æmule, iuſtum
In bellum reges ſollicitare alios.
Te duce Cana Fides uaſtum diffuſa per orbem
Conterat inuicta caſtra inimica manu.

Iam uideo Libyæ compleri milite campos
Auſonio, & cymbis æquora tota tegi.
Iam uideo oblitis trepidos dare terga pharetris
Sauromatas, contra dum tua caſtra ruunt.
Prædatorem Aſiæ uictum uideo ante triumphos
Flectentem uictas ad ſua terga manus.
Vrbibus Eois, totoq. Oriente ſubacto
Victores repetant ut ſua tecta duces.
Aſpicio gemino cretos ſub cardine reges
Aut cadere ante aras, aut fera uincla pati.
O quæ magne Heros, o quæ felicia ſurgunt
Tempora Chriſtiadis te duce, te comite.
Non ego uana cano, ſed mens præſaga futuri
Indicijs certis fata retruſa aperit.
O lux læta, o lux iucunda, o gaudia certa,
Cum quacunque nouæ tempora Pacis erunt.
Nam qui te tenuem elegit, penitusq. iacentem
In partem imperij, ſceptraq. prima ſoli.
Excitat ille humiles, elatos deprimit; idem
Illos in imperium ſufficit, hisq. adimit.
Is tibi ſceptra dedit, ſceptris quoſcumq. ſubegit,
Qui merito obſeruant ſemper honore Deum.
Cum peteret Regemq. ſuum, Chriſtumq. negares
Gallia, & eriperet iusq., piumq. nefas.
Pelleret a patria Pietatem, & iura ſacrorum,
Et fureret Stygijs ſæua Megæra dolis;
Tu cuſtos, regumq. Pater Pie, qui pia ſemper
Bella geris; nigris iurgia mergis aquis.
Contra acies mittis, fulgentiaq. inſtruis arma,

Viribus opprimitur perfida turba tuis.
Atq. ubi ſupplicij ſubeunt genus omne nocentes,
Fit Phlegetonteo præda, cibusq. cani.
Truduntur rabidi ſub Tartara cæca rebelles
Belgæ; mox ſub te uicta Granata fuit.
Vera tot exuuias ſub te Pietaſq., Fidesq.
Tot ſpolia, & palmas hoſte cadente refert.
Et diuum effigies proprias ſtatuuntur ad aras,
Et templis ſacræ reſtituuntur opes.
Et iuris, legumq. redit ueneranda poteſtas,
Moresq. in melius uertere quemq. iuuat.
Atq. tuum Pie munus id eſt, quod quisq. per orbem
Inſerat inferno bella inimica gregi.
Viue igitur Pie magne Heros uiſure triumphos
Finibus extremis quos tua caſtra ferent.
Tu tamen ardentes ſtimulis in prælia reges
Incita, & arma mana tu quoq. ſume ſenex;
Arma preces, & uota quibus Deus annuat, arces
Aethereas pulſent; hæc cape tela manu.
Te duce ſit socijs mens omnibus una, ſit idem
Semper amor, cœpti fœderis extet honos.
Vno omnes animo in pugnam ſi ſigna ſequantur,
Stare quis hos contra, quis ſuper eſſe queat?

AD

AD D. IOANNEM AVSTRIACVM DE CLASSE TVRCICA Victoria parta.

Cæſaris inuicti proles, quo principe ſubdet
Thrax ferus Auſtriaco colla ſuperba iugo
Tende ultra, & patrios æquent tuo facta triumphos.
Tende ultra, ulterius te tua Fata uocant.
Tende agedum ulterius, quo ſe tua gloria monſtret,
Principium hoc certum iam tibi monſtrat iter.
Perge bonis auibus rutilum ſol alter in orbem
Prome caput; radijs ſplendeat æthra tuis.

Aliud.

Macte animo Auſtriacæ magnum decus addite genti
Inſequere, & factis inſere facta tuis.
Cæſaris ad faſtos titulos adiunge, triumphs
Adde triumphato Victor ab orbe tuos.
Helleſpontiacus ſubdet tibi ſceptra Tyrannus,
Regna Aſiæ, & Libyæ Thrax, Numidæq. dabūt.
Tu ne fige pedem, ſed contra ardentior ultra,
Perge Heros; gaudet te minor eſſe pater.

Aliud.

Si primo ingreſſu decies quater amplius Orco.
Mille Getas trudis, carbaſa mille capis,
Quid facies, ubi uela Heros ſinuantibus Euris
Verteris in Libyci regna opulenta ſoli?

AD SELINVM SVLTANVM TVRCARVM REGEM.

IN te dū Sultane ferox Aquila explicat alas
Et Pius, & Venetus cōparat arma Leo;
Intonuit læuum rerum ter maximus ille
Ille hominum rector maximus, ille Deū.
Et fœdus gratum eſſe ſibi hoc oſtendit apertis
Indicijs, palmæ pignora certa dedit.
Principio hoc alios promittit mille triumphos,
Mille notat palmas, mille trophæa parat.
Si ſapis, ante tuis, dum ſors fert, conſule rebus;
Et Chriſti ſuaui ſubijce colla iugo.

Aliud.

Contraxit Sultane pauens ſua cornua Phœbe;
Dum contra uolucrum gloria prima uolat.
Quid mirum? ardentem Solem quæ in mota tuetur,
Non adimet lunæ lumina luce ſua?
Et quæ oculis ſpectat fixis Hiperiona, Phœbes
Illa eadem ſpernit cornua fracta tuæ.

AD

In Eandem Victoriam Elegia

Vicimvs o ciues, noſtra eſt uictoria, dicat
Omnis io læto turba triumphe ſono.
Perq. uias, et tecta canat gēs lęta triūphos,
Victori ſtatuant mille trophæa patres.
Religioſa cohors lætis indulgeat hymnis,
Et quis quis ſancta pro Pietate dolet,
Sarmaticæ periere acies, periere carinæ,
Miſſaq. ab Iſmario gurgite capta manus.
Et quæ multiplici uiolenti cuſpidis arcu
Thracia fidebat, turbine merſa ruit.
Victa Tomitano, quæ ſoluit ab æquore, claſſis,
Victa Boriſtenio miſſa carina ſinu.
Et quæcumq. Rhodo, quæcumq. profecto Canopo,
Et quæcumq. freto uenit ab Herculeo.
Thrax ſceleratam animam medijs effudit in undas,
Grexq. Helleſponto lectus in arma, iacet.
Quod ſi quis iuſto potuit ſupereſſe furori
Remigium ratibus per data tranſtra ſedet.
Sauromatæq. Scythæq. feri, Getulus, & Afer
Purpureas Nerei ſanguine fecit aquas.
Sanguine pingueſcunt piſces, depaſcitur arctus
Morſibus aſſiduis hiſpida turba maris.
Ionijsq. natant inhumata cadauera campis,
Plurima ſquammigero præda, cibuſq. gregi.
Miratur rex ipſe maris Neptunus ab imis

Sedibus, & Thetys Nereidumq. chorus.
Certatimq. hudum caput ſublime ferentes
Tot ſtrages Nomadum, funera tanta ſtupent.
Cæruleus Triton, Phorciq. exercitus omnis
Circum uictrices itq., reditq. rates.
Tranquillamq. uiam claſſi cedentibus undis
Ante uagus Glaucus per uada ſalſa aperit.
Atq. aliqua ex Nymphis, uaſtũ quas continet æquor.
Seu formoſa Eryphæ, ſeu Galatea fuit;
Litora ad Heſperiæ iuuenem dum ſpectat onuſtum
Tendentem exuuijs Thrax furibunde tuis.
Dignus hic eſt dixit, quo nato Carolus ultra
Inuictas Aquilas mittat ad imperium.
Cæſare magnanimo digniſſima patre propago,
Cæſaribusq. atauis, & proauis, & auis.
Maximus ille armis Mauortia in arma paternas
Vltra Aquilas uictor, qua patet unda, feret.
Ille feros animos iuſtis compeſcet habenis,
Quidquid ad Auroram ſol ab Atlante uidet.
Et quidquid longe medium procurrit in Auſtrum,
Quaq. axi Arctoo frigida terra iacet.
Namq. hoc principium, quæ par fortuna ſequetur?
Qua tegit, & qua ſol exerit ora, patet.
Cum regat inmenſum pondus, quod maximus Allas
Si ſubeat, diſpar uiribus ibit Atlas.
Quem fore crediderim, poſtquam maturior ætas
Creſcet, & imperii ſarcina maior erit?
Principio hoc longos reparat ſibi nomen in annos,
Atque auget titulos, & decus omne domus.
Hoc

Hoc iuuat æternos uictorem emiſſe triumphos,
Hoc famam ſtellis inſeruiſſe iuuat.
Nam, quæ per terras, perq. ultima regna uagatur
Fama uolans, partum narrat ab hoste decus.
Nunciat, & belli palmas, & mille trophæa,
Truſaq. ad Eumenidum millia multa domos,
Exuuijs ornaſſe rates, cepiſſe triremes
Sauromatum, multos eripuiſſe iugo,
Et plures Numidasq. Getasq., Daasq. carinis
Remigio in noſtris ſubſtituiſſe docet.
Vt palmit aſſueta olim contraria uotis
Agmina ſenſerunt, ut ſubiere iugum.
Audijt hoc Europa decus, contendit ad Indos
Hæc fama & pondus, qua ſubit Orbis Atlas.
Venit & ad Tanain, quaq. arida culta Canopi
Ditat inundanti qui tegit ora luto.
Venit & ad Gangem, gemmiſq. auroq. beatum,
Pactolum, & gelidis, qua riget Albis aquis.
Venit in aduerſum latus orbis, & ultima regna
Terruit: hæc loquitur prœlia diues Arabs.
Igniuomosq. arcus tormentiferasq. pharetras
Torſerit in Libycas ſtirps generoſa rates.
Sulfureosq. globos, & tela armata rotarit
Aere cauo contra perfida caſtra Scythæ,
Vt late belli fragor audiretur, & acer
Frangeret inſolitus litus utrinq. furor.
Auditamq. ululare imis e cautibus Echo,
Et duplicare iterum claſſica pulſa ſonos.
Ceu quale exitium iaculato e nubibus igne

Inducit terris cum ſurit ira Iouis.
Ceu quali furibunde trahis nemora altra fragore
Sæpe ab Hyperboreis cum ruis Eure iugis.
Ceu cum præcipites agitas ſtridore procellas,
Cum fremis Icarijs Caure proterue uadis.
Felices ſancto concordes fœdere puppes,
Fœdere Barbaricæ quo minuuntur opes.
Quo Libyæq. Aſiæq. ferus populator, auitis
Pulſus agris, diſcet uincla aliena pati.
Tempus erit cum digna fide, cum uera poetæ
Poſteritas olim carmina certa leget.
Cum domitum audierit leges mutaſſe Niphatem
Et dare iam uictas ultima Bactra manus,
Cedentemq; Tibri Nilum, Gangemq. & Hidaſpem,
Et Tanaim, & quisquis ſceptra aliena colit.
Indomitosq. Daas, Morinos, pictosq. Gelonos
Viderit imperium Roma ſubire tuum.
Tunc ego mille canam palmas, & mille triumphos,
Partaq. Chriſtiadum mille trophæa manu.
Teq. adeo o Pie Quincte canam, quo uindice durat
Hiſpanos inter fœdus, & Euganeos.
Vt ſub Romanas ueniat te principe leges
Quæ colit ignotos gens maleſana deos.
Et te maxime Rex, bene cui qui temperat orbem,
Subdit Europæ ſceptra priora canam.
Vosq. etiam o Venetæ pulcherrima gloria gentis
Inſeram; & a Veneto nomine ſurget opus.
Auratis circum puppes Victoria pennis
Aſtat, & in ueſtris puppibus alta ſedet.

Crux, Aquila, & Leo bellantum pectora firmant.
Impia quis contra tres ferat arma Deos?
Vos quis ſtare queat contra? quis feruida contra
Auſtriaci iuuenis ſpicula torta manu?
At tu quem propter claſſem regit ille, cruenta
Bellaq. quem ſolum propter, & arma gerit.
Da pater, ut frenet populos, gentemq. rebellem,
Et ſubdat ſuaui regna inimica iugo.
Et ferat exuuias Capitoli ad culmina, debet
Quas Tiberi infidi litus utrumq. maris.

AD VITA FVNCTOS IN BELLO Nauali, contra Turcas ſuſcepto Non. Octobris MDLXXI. parta ingenti Victoria.

O *ANIMAE illuſtres, nitidi quas Regia cæli*
Aſciuit, lætis inſeruitq. choris:
Per uos parta quies, ꝑ uos fracta arma Tyrãni
Iſmarij, per uos plurima ubiq. ſalus.
Felices, quos bella ſequi, quos iuuit iniquos
Edomuiſſe Getas, nec timuiſſe necem.
Vos Veneti, uos Hiſpani, uos Roma loquetur,
Poſteritasq., & uos Fama loquetur anus.
Romani memores incident nomina in ære,
Vt uentura ætas laudet, & obſtupeat.
Ergo pro lacrymis Panchæos urere odores
Conuenit, & Diuum uos numerare choro.

IOANNIS BAPTISTAE ARCVCII NEAPOLITANI

Victoria Naupactiaca.

QVAE Diuos celebras, & fortia facta uirorum
Dulcibus exornas numeris, æternaque reddis,
Muſa Iouis ſummi ſoboles pulcherrima Clio
Lætitia precor in tanta, qua maximus Orbis
Verrarum latè, ac ſeptem cum collibus alma
In primis Roma exultat domus inclyta Diuum
Pro clade ingenti Turcarum, & Claſſe ſub acta
Ionio in magno, rurſus cape condita plectra.
Nam quamquàm nullo doctorum carmina Vatum
Sunt hodie in pretio, nec habent ſua premia Muſæ:
Non ingrata tamen fuerit ceciniſſe uoluptas,
Et claram Europæ famam extendiſſe per urbes.
Ergo age Diua mihi memores ab origine prima
Quis tanta intulerit Turcarum funera genti.
Ponto Aſiæ in medio ſedet inſula ſacra Diones
Formoſæ natæ, & longè gratiſſima tellus,
Clara uiris opibuſq., Cypron dixere Pelaſgi.
Hanc Veneti patres multos tenuere per annos:

Munere

Munere ſed uitæ Solymano & dulcibus auris
Defuncto, ſimul imperium ſceptrumq. regendum
Sæuior accepit Selymus, dum latius optat
Regnorum fines protendere, fœdera rumpit,
Magnanimis quæ cum Venetis percuſſerat olim
Armipotens genitor nullum uiolanda per æuum.
Tum belli reſerat portas, & Claſſe parata
Quantam non unquàm noſtris audiuimus annis,
Impius inuadit Cyprum. Iamq. oppida multa
Ceperat, & paſſim ſpecioſas uſſerat urbes:
Quum Venus hunc miſerans caſum telluris amatæ,
Alloquitur ſic mæſta Iouem. Si filia uerè
Sum tua, ſi de te uerè me pulchra Dione
Suſcepit, tua ſi uenerans Rex inclyte Diuum
Iuſſa ſequor; cur heu pateris tu numina noſtra
Contemni? dilecta mihi (iam deſpice) tellus,
In qua ter centum ſanctè per templa colebar,
Vritur: ecquidnam meruit? cur ille triumphat
Audax, contemptor Diuumq. hominumq. tyrannus?
Certè ego, ſi tanti ſunt numina noſtra, recedam
Cælo, & Tartareas habitabo ingloria ſedes.
Tum pater apprendens dextra, dedit oſcula fronti:
Atque ait. Iſta quidem iuſtiſſima cauſſa dolendi eſt
Nata meus ſanguis: ſed enim temerarius ille
Omnes aduerſus Diuos, numenq. Tonantis
Nil ueritus (quamquàm magna cum ſtrage ſuorum)
Cypron habet, ferroq. & flammis omnia uaſtat.
Hæc ego permiſi, fateor, dum turpia gentis
Chriſtiadum dignis ulciſcor facta flagellis:
Nunc

Nunc illos toto ex animo quòd pænitet, ac iam
Mutarunt mores (Stygij per flumina fontis
Obteſtor) terræ faciam pelagiq. potentes.
Iam domus Othomani ruat: & quem Claſſe ſuperbum
Aſpicis ingenti ſpatioſum currere pontum,
Victorem atque urbes capere, et regna addere regnis,
Tempus erit, iamq. accelerant ea ſtamina Parcæ,
Quum tantis ſpoliatum armis, & claſſe uidebis
Exutum, mœrentem animo & ſua fata gementem,
Extremis ſeſe pauitantem condere Bactris,
Vel quà præcipiti curſu petit æquor Hydaſpes.
Reddeturq. tibi pauco poſt tempore Cyprus.
Tu modo fac Italæ feriant ſacra fœdera gentes,
Hiſpanæq.: tuus labor eſto hic filia mentes
Mentibus, atque animos animis connectere Regum:
Quo ſimul in Thracum coniuret Roma tyrannum,
Vtraq. & Heſperia, & Venetum Reſpublica diues.
Dixerat. Illa polo Suada comitante loquendi
Artifice exceſſit, claramq. ad Tibridis urbem
Contendit, magnumq. Pium, regnator Olympi
Cui dedit in terris aperire & claudere cælum,
Affatur. Viden' ut Scythiæ dominator auitis
Tot regnis non contentus bella horrida rupto
Fœdere magnanimis Venetis indixerit? & iam
Claram expugnarit Cyprum uictricibus armis?
Quin & Corcyræ malus imminet. hac quoque capta
Mox illum cernes Siculi ſulcare profundi
Aequora, & huc etiam numeroſa excurrere Claſſe.
Surge age, quid ceſſas? tantis obſiſtere cœptis
Te de-

Te decet in primis, genitor quem maximus unum
Eſſe dedit Romæ columen, tutamen & omnis
Auſoniæ, pedibuſq. tuis regalia ſceptra
Subiecit. tu fac coeant in fœdera fortes
Hiſpani Venetiq., ac ſeſe ingentibus auſis
Opponant Selymi: dabitur victoria tandem:
Ne dubita, pater huc alto me miſit Olympo.
Agnouit Diuam ſenior. iubet ocyus ergo
Hiſpanos Italoſq. ſimul componere fœdus
Immortale, ſacrum, centum quod duret in annos.
Deduci ingentem Claſſem tum mandat in æquor,
Acciri & iuuenem clara de ſtirpe Deorum
Auſtriaden, belli referentem laude parentem
Diuinum, quo non præſtantior alter in armis,
Alciden quamuis & Græcia iactet Achillem.
Hunc belli eſſe caput tanti, uoluitq. phalanges
Hiſpanas Venetaſq., & magnam ducere Claſſem
Chriſtiadum. Calidi urebat iam terga Leonis
Sol, & pacati ridebant marmora ponti,
Quum Dux Auſtriades Zephyris dat uela ſecundis
Fratris ab amplexu auulſus, cui plurima parent
Oppida in extrema Heſperia, tranſq. æquora latè
Alter cui mundus, telluſq. Antarctica ſeruit.
Hiſpanis illum fauſtè quum ſolueret oris
Filia magnanimi Iouis aurea Cypria duxit
Per mare in Auſonias oras ad litora pulchræ
Parthenopes, ingens ubi Claſſis, & omnia tantis
Opportuna orſis ſtabant iam ritè parata.
Namq. bonus Regni Præſes, pars magna Senatus

Romulei

Romulei, belli & pacis clariſſimus arte
PERNOTTVS, cuius mira uirtute regendis
In populis Diuus dum uixit Carolus, & nunc
Auſtriades Regum Rex utitur ipſe Philippus,
Arma, uiros, naues, ſimul & quæcunque fuiſſent
Illius ex uſu belli inſtrumenta pararat.
Mox templo in magno Sacris de more peractis
Olli multa Deos aurata in ueſte precatus,
Sceptra, & Pontificis porrexit nomine ſacrum
Vexillum, quo tutus eat per tela, per hoſtes.
Talibus auſpicijs Heros de litore curuo
Parthenopes dat uela Notis duce Cypride Diua.
Et iam Pauſilypi colles, Neſidaq. pulchram
Liquerat à dextra, Prochytenq., ſacrumq. Mineruæ
Tranſierat montem, & quondam, dum regna manebãt
Teleboum, Capreas armis opibuſq. potentes,
Sirenumq. domos dulces, ac litus amœnum,
Naturæ gaudentis opus: quum plurima turba
Nympharum regno caput extulit Amphitrites,
Mirantum: quæq. illarum pulcherrima Drymo
Sic cœpit, uocem reliquæ tenuere ſorores.
Non has ò iuuenis fauſto ſine numine ad oras
Veniſti: poſcunt unum te fata Deorum,
Perdita qui ſceptra Italiæ, & decus omne reponas.
Ergo age, & inuictus tanto ne cede labori,
Quamuis Scylla tibi, ſuperandaq. uaſta Charybdis,
Leucadijq. maris ſcopuli, Patræaq. ſaxa:
Quid tua non ſternet uirtus? te gloria belli
Attollet cælo, nam poſtquàm Claſſe Corinthum,
Actiaq.

Actiaq. Auguſtis ſemper memoranda trophæis
Attigeris; hoſti occurres, pugnamq. laceſſes
Terribilem, crudelem, acrem, quâ nulla fuiſſe
Dicetur pelago maior, licet aſpera multa
Xerxis cum Danais in cælum bella ferantur,
Et cum Romanis Cleopatræ illuſtre duellum.
Perge age, ne dubita, dextro maris æquora curris
Omine. & his dictis uitrea caput abdidit unda.
Ille iter incæptum properat felicibus Auſtris.
Tertia iamq. dies aderat, quum Trinacris oræ
Proſpiciunt longe ſalientem ad nubila fumum.
Lætatur Ducis aduentu Sicania tellus,
Gaudiaq. exploſis centum teſtatur ahenis
Tormentis: magno reboant caua litora plauſu.
Hic Venetum bonus occurrit cum Claſſe, manumq.
Vennerius iungit Dux, & ſacra fœdera firmat.
Iamq. ſimul placidas ſulcabant Doridis undas
Heſperij Venetiq. Duces, unaq. Columnus
Romanæ Claſſis Princeps: & ſicubi celſas
Inueniant Cilicum puppes, maria omnia obibant:
Quum propè Brunduſium fuit obuia nauis Ibera,
Innumeramq. refert Claſſem uidiſſe Scytharum
Attollit quà ſe ponto nemoroſa Zacynthos.
Imperat Auſtriades illuc aduertere curſum
Noſtrorum proras, certus committere pugnam.
Vētum erat ad colles Naupacti, ubi maxima gētis
Heraclidarum ſteterant naualia quondam:
Hic procul ex alto Scythicas uidere triremes.
Arma arma ò ſocij exclamat tunc maximus Heros,

Ecce dies toties uotis optata refulſit;
Pugnemus. celeri hæc dicens rate ſingula luſtrat,
Componitq. acies bello. Nec ſegnius hoſtis
Inſtruit ad pugnam naues, noſtriſq. propinquat.
Quis Claſſem Iſmariæ gentis tunc Ductor agebat
Diua refer, pugnæq. modum. Genitore Thoante
Ortus Alys, cui Rex Aſiæ commiſerat omnem
Regnorum Europæ molem, ac ſæpè horrida bella
Geſſerat euentu felici, & Marte ſecundo,
In curuæ ſpeciem Lunæ miro ordine Claſſem
Threiciam tumidus ducebat. iamq. trecentas
Florentes armis, opibuſq., uiriſq. carinas
Hinc atque hinc contra noſtras inſtruxerat audax:
Ipſe quidem toruis oculis, & corpore magno,
Quantus Sicana fuerat Polyphemus in Aetna.
Et latere à læuo pendebat maximus enſis,
Effulgens cuius capulum decorabat Iaſpis,
Ingentem dextra Clypeum geſtabat, Abantis
Qui fuerat Lyciæ regis, galeaq. minaci
Munibat caput, & pectus thorace rigenti
Ex ferro, ſuras ocreis, haſtamq. ferebat,
Ad pugnam his acuens Turcarum pectora dictis.
Gradiuo quantum Geticis qui præſidet aruis
Debemus Marti ò ſocij, ſummoq. Tonanti?
Qui prædam hanc nobis nil tale putantibus ultro
Obtulerint, gentem imbellem, quam ſæpius olim
Fudiſtis, cunctam & miſerè obtruncaſtis ad unum.
Quare alacres committite prælia, uoſq. putate
Cum totidem certare uirum ſub imagine Damis.

Maximus Auſtriades contra terno agmine Claſſe
Inſtructa ad pugnam Diuis comitantibus ibat,
Formoſus facie iuuenis, flauoq. capillo,
Qualis erat Nireus, Phrygia uel raptus ab Ida.
Huic fabricata manu dederat Cytherea mariti
Arma, quibus contra magnos inſurgere Diuos
Vel tutus poterat, conſertam ex ære minutis
In primis loricam hamis, auroq. argentoq.
Inſignes ocreas, galeamq., enſemq. coruſcum,
Cuius erat capulo uiridis præfixa ſmaragdus,
Et Clypeum: medios alacer quibus ibat in hoſtes,
Bis centum æratas adigens in bella triremes.
Hic omnis flos Auſoniæ, flos omnis Iberæ
Gentis erat: dextra Ligur Auria: Barbariguſq.
Legatus Venetum læua: medium agmen agebat
Ipſe Heros, quem circumſtant duo fulmina belli
Hinc Dux Vennerius, Princepſq. Columnius illinc:
Atque alij. Tum ſic pelagi formoſa Cythere
Compellat regem. Neptune tridentiger, omnes
Quem ſupra Diuos uno Ioue patre Tonante
Excepto colui, da nunc felicibus Euris
Auſtriades pugnet meus, infelicibus hoſtis.
Sic illa: atque Deus Veneris prece motus amatæ,
Auſtriadę Claſſem felicibus impulit Euris.
Iam fortes utrinque Duces certare parabant,
Quum turmas duri accendens in prælia Martis
Auſtriades celſa ex puppi ſic ore profatur.
Si CHRISTI *nos tangit honor, ſi gloria tanti*
Titillat belli ò ſocij, nunc fortiter armis

Tendite

Tendite in aduerſos hoſtes, conferre uolentes
Nunc acres in bella manus. Deus æthere pugnat
Pro nobis, ſimul & uenti, Neptunus & ipſe,
Sanctus & ille ſenex, Romæ qui templa tuetur,
Diuorum & mentem nouit, mihi maximus ille
Omnia promiſit dextra in certamen eunti,
Vos eſtote uiri tantum, uictoria noſtra eſt.
Imperat his dictis mox Claſſica mille, tubaſq.
Inflari, ac magno explodi tormenta fragore
Aenea, quo uaſti intremuit domus ardua Olympi,
Oceanuſq. imis caput occultauit in antris.
Quis ſtragem illius belli? quis funera fando
Enumeret? magnis animis certatur utrinque.
Turritæ Venetum naues, ſex illa marinas
Inter aquas Caſtella, bonus quas fronte locarat
In prima Auſtriades, ingentia ſaxa pilaſq.
Proijciunt ferri grandes, ſtragem ac miſerandam
Per Claſſem dant aduerſam, & ſimul omnia turbant.
Tum magnas Turcæ iactant ad ſidera uoces:
Exululant, immane fremunt Pſylli, Garamantes,
Aethiopes, Daci, Morini, Ciliceſq., Getæq..
Occurſant proræ proris. fit maxima cædes,
Auſtriades medios ſic irruit acer in hoſtes,
Vt Leo paſcentes per gramina læta iuuencos
Si uideat ſtimulante fame petit unguibus uncis
Dilacerans. Alyn ante alios tunc impete uaſto
Aggreditur, roſtroq; ratem percuſſit acuto,
Ac tabulas latè huc illuc diſiecit in æquor:
Temonemq. ipſum, malumq., & apluſtria tota
Abſtu lit

Abſtulit exploſis ingentibus ære cauato
Saxis nigranti miſta cum puluere flamma.
Neue fuga ſe proripiat tum Barbara puppis,
Grandibus ex ferro tenet harpagonibus arctè
Implicitam, magnis manibus, ualidiſq. catenis.
Aſt Alys intrepidus turba ſtipante ſuorum
Opponit ſeſe noſtris, & comminus enſe
Obtruncat quicumque manum conferre paraſſet.
Annuit & Barco celeres impellere proras,
Et Ducis à tergo Heſperidum committere bellum.
Præſenſit iuuenis fraudem, Siculiſq. carinis
Imperat, accelerent curſum, Barcumq. repellant.
Iam magnis late reſonat ſtridoribus æther,
Omnia complentur ſonitu, belliq. fragorem
Elide cum tota procul audijt alta Corinthus,
Piteneq. ſacer Muſis, & pontus uterque.
Inuadunt Turcæ Auſtriaden, & ſpicula iactant
Lethali taxo, & Scythicis medicata uenenis:
Ille tegens Clypeo ſeptemplice tela repellit.
Hoſtilem tandem fortiſſimus inſilit Heros
In puppem, ſequitur ſociorum cetera turba:
Atque Alyn intrepide pugnantem percutit enſe
Qua coſtæ iecur abſcondunt, Erebiq. coegit
Ire domum, & meritas Alecto ſoluere pœnas.
Inde Agat obtruncat, Dadagũq., Caráq., Caſamq.;
Muſtafamq., uni fuerat cui Barbara gaza,
Omnis & illius commiſſa pecunia belli.
Quo tamen enſe minus caderet, nil profuit aurum,
Argentumq. ſua multum quod puppe ferebat.

Giafferrumq., Oſmanq., Peruq. trucidat, & Affyn.
Et Prouyn, & Ligeryn, uno quos candida partu
Dicitur in magna quondam genuiſſe Libyſſa,
Liriope geminos concordi pectore fratres.
Nam Prouys æratam per coſtas impulit haſtam:
Cui mox auxilium Ligeryn afferre parantem
Adiungit fati comitem, mittitq. ſub Orcum,
Fulmineo medium mucrone in pectus adacto.
Cappadocumq. Ducis Peribæ, qui fortia letho
Corpora multa uirum dederat, perfodit utrumq.
Tempus, & undiuagis proiecit piſcibus eſcam.
Atque Amet in tota regnantem Chalcide ferro
Traiecit medium, Caralymq., trucemq. Morattum.
Quanta per aduerſos hoſtes det funera magnus
Vennerius, dic Muſa Iouis clariſſima proles.
Namque Ducem contra Gyalum, natoſq. Dragutti
Tendebat celeri inuectus Piſtrice per æquor.
Iamq. rates treis illorum combuſſerat igni,
Merſerat atque duas pelago: quum puppe Nearchus,
Cuius erat torua cum fronte inſigne Leæna,
A tergo prora Piſtricem inuadit acuta.
Iamq. uirum merſiſſet aquis cum puppe decorum,
Ni ſuſtentaſſet dextra Neptunus amica.
Namq. ferunt olim Hadriacis quum ſolueret oris,
Vennerium pulchræ Veneri uouiſſe, patriq.
Neptuno, cui ſtat Venetum Reſpublica curæ,
Si ſoſpes uictis aliqua cum laude rediſſet
Hoſtibus in patriam, poſiturum maxima templa
Neptuno in primis, atque Idaliæ Cythereæ.

Hoſtem Vennerius ſic increpat. Improbe fraudes
Iam tibi nil ſaxo proſint, arteſq., doliq..
Dixit, & impellens roſtro ſtridente Leænam
Merſit aquis. nuſquàm ſocij, nuſquàm ipſe Nearchus
Amplius apparent. tegit omnes cærula Tethys.
Mox & Monſorrem Delphinide puppe uolantem
Aſſequitur, teloq. caput terebrauit acuto,
Myrmillumq. necat confoſſo pectore, uaſtumq.
Andraleonta feros Getula per arua leones
Venari ſolitum, rapidaſq. occidere tygres.
Aſpera pugnabat dextro Ligur Auria cornu
Prælia, & ingentem Corinæi Tygrida puppim
Cœperat, ac ſeptem combuſſerat igne phaſelos
Audacis iuuenis Chelypi, quibus improbus omnem
Tyrrheni maris aſſidue uexauerat oram.
Mox magnum ſternit Solymæum, acremq. Cloanthum
Inſequitur, claris qui tunc regnabat Athenis:
Excedens bello parua fugit ille celoce.
Militiæq. Duces Melitenſis, clara propago
Martis, in aduerſos contendunt fortiter hoſtes,
Et primi pugnas ineunt, Turcaſq. laceſſunt.
Non impune tamen miſeri: namque agmine facto
Inſiluere feri uiolento pectore Thraces,
Ac late illorum tinxerunt ſanguine pontum.
Iamq. erat in tanto Melitæ prætoria bello
Capta: ſed Hiſpanus propere tunc affuit Heros,
Auxiliumq. tulit, ſuoq. ex hoſte recepit.
Pone ſequebatur Romani Principis auro
Tota micans puppis, & Chriſti ſigna gerebat:

In qua clarus erat Dux ille Columnius æui
Priſci relliquiæ, & Romani roboris index.
Abſtulit hic animam piratæ ex pectore Brontis,
Iniectoq. iuſſit tres illius igne carinas.
Luminaq. eripuit forti iuueni Paralyppo:
Quem genetrix olim Fauno commiſta crearat;
Et nati quum iam cuperet cognoſcere fatum,
Reſpondit genitor: pulchro quem lumine læta
Arridere tibi cernis, ſi bella Latino
Pum Duce congreſſus committat in æquoris undis,
Ipſe quidem patriam uiuus remeabit amatam:
Sed tamen hos ipſos oculos amittet acuto
Percuſſus telo, iucunda & luce carebit.
Ergo illum in ſiluis, interq. parentis opacum
Tempore ſeruarat longo nemus anxia mater,
Nec dabat inde pedem proferre: ſed improba tandem
Sors uicit. nam quum nitido ſe fonte lauaret
Forte per æſtatem, puerum piratica turba
Vidit, & abripuit: creuit puer, ac Solymano
Sic gratus fuit, ut late regnare per omnem
Iuſſerit Arcadiam: quumq. omnia feruere bello
Iernêret, inſignis pugnæ ſuccenſus amore
Ipſe decem primus cum nauibus affuit, ac ſe
Addiderat Turcis comitem, magnamq. ciebat
Noſtrorum uaſti tunc per maris æquora ſtragem.
Huic oculos telo Ductor Romanus acuto
Eruit, inq; fugam uertit. mox eminus haſta
Deiecit magnum transfoſſo gutture Sangam,
Dondomenumq. ferum, atq. ingenti corpore Phydrũ.

Atque ambos magni fugientes æquore natos
Cæpit Alys uiuos, alta ad Capitolia curru
Deuinctos poſt terga manus ducturus ouanti.
Hærebat lateri gener huic, Carrafia proles,
Qui Lirim late Princeps dominatur ad amnem,
Clarus auis, & tela truces torquebat in hoſtes,
Coniecta quamuis percuſſus crura ſagitta
Iam foret, & multus manaret uulnere ſanguis.
Ipſe quidem tanti generoſum pectus amore
Dum flagrat belli, deſerta coniuge paruis
Cum natis, Nerei ſulcauerat humida regna
Ancipitem Martem, & ſoceri uexilla ſecutus.
Illa ſed expectans, & cunctos anxia caſus
Dum timet, heu miſere morbo correpta mariti
Præ deſiderio primis intercidit annis,
Ac multas lacrymas patriq., uiroq. reliquit.
Illuſtres alij Proceres, fortiſſima corda,
Magnanimi iuuenes, quos & Tiberinus, & Arnus,
Eridanuſq. pater fluuiorum, & magnus Iberus,
Et Tagus aurifera celeberrimus amnis arena
Miſerat, in bellum pulchra pro laude ruebant.
Inter quos Princeps Vrſinæ maxima gentis
Gloria Paulus erat, clariſq. micabat in armis.
Illius robur, grandiq. in corpore neruos
Obſtupuere Getæ, denſos dum fortis in hoſtes
Irruit, & cornu penetrat per tela ſiniſtrum:
Mammettumq. Ducem noſtrorum ſanguine tela
Tingentem, & certo iaculantem ſpicula neruo
Arreptum dextra interimit, mergitq. profundo:

Caſſannũmq., Halymũq., & uaſto corpore Staſſyn.
Et te Farneſi iuuenis tum Barbara Claſſis
Obſtupuit pugnantem haſta: tua ſenſit Orontes
Arma ferox, ſenſitq. ferox tua ſaucius arma
Scyroccus uerſa quærens ſibi puppe ſalutem.
Magnus & Vrbini natus Ducis enſe coruſco
Fulminat, & toto Scythicas agit æquore naues.
Non illum bello quiſquam ſe attollere contra
Audebat: ſolus Gurgut, qui regna tenebat
Excelſæ Smyrnæ claro cum fonte Melete,
Auſus conſeruiſſe manum, & decernere ferro,
Infelix medijs animam exhalauit in undis.
De noſtris etiam pugnantum plurima turba
Fuderunt dulces crudeli funere uitas.
Nam ferus Occyalus; Calabris quem montibus ortum
Famã refert Chriſto luſtrali in fonte dediſſe
Nomina, mox Arabis complexum dogmata Vatis
Falſidici, quem cum Libya ſimul omnis adorat
Nunc Aſia, Europæq. etiam pars maxima noſtræ,
Abiuraſſe Deum uerum, rectaq. parentum
Deflexiſſe uia; qualis ſub nocte ſilenti
Egrediens ſilua Lupus inſidiatus ouili
Dat magnam ſtragem pecoris; ruit æquore toto
Feruidus, inceditq. rates, noſtroſq. trucidat.
Ille & Cardinei iuuenis, quo ditior alter
Vix erat Heſperijs aut fortunatior oris;
Quumq. tot inter opes potuiſſet ducere uitam,
Maluit Auſtriadæ comes ire, moriq. ſub armis;
Candida traiecit lethali pectora telo.

Barba rigus

Barbarigus multis occiſis hoſtibus, igni
Nauibus incenſis partim, partim æquore merſis,
Fortia dum læuo pugnaret prælia cornu,
Eminus impulſa confoſſus arundine guttur
Occubuit: tanti latuit ſed uulneris auctor,
Nec ſe ſe illius iactauit funere quiſquam.
Tum latus Armenio traiectus ab enſe Soranzus,
Bisballuſq., atque Hiſpano qui carmine Diuos,
Claraq. præſtantum celebrabat facta uirorum
Mauorti ſimul & Muſis Toraldus amicus,
Formoſuſq. cui primo ſub flore Quirinus
Occidit, Ioniumq. infecit ſanguine pontum.
Sacraq. gens Melites, audacia pectora, Marte
Durati longo iuuenes, quos Barbarus hoſtis
Sæpe ad Byzanti portas, & mœnia uidit
Ante oculos Selymi captas incendere naues,
Et paſſim populare ſuis cum ciuibus urbes;
Vulnera per pulchra occubuerunt. ite beatæ
O animæ quo regnator uocat ætheris: ite,
Et capite inſignes palmæ immortalis honores:
Nec, quòd marmoreis urnis tellure caretis
In patria, dolor hic angat: nam maximus æther
Vos tegit, & quantum rutila Sol lampade luſtrat.
Belli anceps fortuna diu ſtetit, æthere donec
Deſpiciens Diuum genitor certamina tanta,
Fatorum memor, & Veneri quæ dixerat almæ,
Iuſſit ut in bellum deſcenderet acer Apollo
Exitium, cladem q. Getis, & funera portans.
Namque ex Naupacti præcelſa rupe ſagittas

In Scythicas puppes iaciebat, acutaq. tela.
Quo terrore feri ſenſim ſe abducere bello
Cœperunt Turcæ, & noſtris dare terga carinis.
Et ſi Boſphorio tum nil fuga profuit hoſti:
Nam uelut accipiter pauidas agit ille columbas
Aera per uacuum, nec deſerit impiger ante
Quàm cunctas rapiat uictor: ſic maximus Heros
Auſtriades toto fugientes æquore turmas
Inſequitur, tantamq. ciet per Dorida ſtragem,
Vt iam ſe rubro mutauerit illa colore.
Brachia, truncataſq. manus, & crura, pedeſq.,
Et capita aſpiceres ſalſas fluitare per undas,
Perfuſoſq. enſes, pharetraſq., & tela cruore,
Intextaſq. auro chlamydes, Phrygiaſq. tiaras.
Tanto de numero paucæ euaſere carinæ
Occyalo Duce, cladis ijt qui nuncius ipſum
Ad Selymum: capta eſt, abductaq. cetera Claſſis.
Tunc lauro de more comas fortiſſimus Heros
Præcinctus tanta Auſtriades ex hoſte trophæa
Victor in Italiam retulit, duxitq. triumphum.
Ibant biſcentum, nec habebant ſigna, triremes
Captæ ex hoſte Ducis poſt terga, omniſq. ſonabat
Pontus i ò uictor, Caroli digniſſima proles,
Auſtriades bellator i ò, paſſimq. per urbes
Chriſtiadum Diuis actæ ſunt omnibus aris
Immenſæ grates, & debita uota ſoluta.

Hoſtis ferus uincitur in hoc ſigno Crucis,

Crux Natum Superum ſuſtinuit Patris,
Qui lauit proprio ſanguine crimina.

Dextera furem
Senſit amicum.

Leuaq. contrà
Senſit iniquum.

Sub pede ligni
Flentes funera dira
Stabát Diſcipulus, Parés.
Crux hæc modis conſtat ſacris.
Flexo genu procumbite.
Crux Sancta Salue dicite.

ODE DE CLASSE TVRCARVM A CHRISTIANA VICTA ET CAPTA Pecini Seiani Cremonenſis.

O Grata fama Chriſtianis omnibus
De claſſe capta barbara.
Quæ per tot ætates, tot & per ſęcula
Fuerat potens toto æquore.
Primùm occupauit Boſphorum olim Thracium.
Cepitq. ui Byzantium.
Euxinus additur ſimul Symplegades,
Cimmerius atq. Boſphorus.
Propontidem mox hinc, & hinc inuaſit hæc.
Hellesq. pontum tranſiit.
Ad Cycladas uenit, quibus cunctis quidem
Longo potita eſt tempore.
Multosq. poſt annos Rhodon claram capit.
(Sed Proditoris crimine)
Qui prodidit Equites ſuos fratres: tamen
Pœnas ſcelus meritas dedit.
Tandemq. cœpit huc, & illuc currere,
Oraſq. deprædarier.
Nunc litoris Corinthij: nunc Cretici:
Nunc totiusq. Græciæ.
Epirus hanc timebat, hanc Corcyraq.
Timebat Ionium & mare.

Superum

Superum timebat hanc, timebat inferum,
Liguſticum cum Corſico.
Terrebat hæc Sardos, & Inſulas, & bonos
Quæ funditores educant.
Nili oſtia occupauit hæc ſeptemplicis,
Ambasq. Syrteis aridas.
Hæc regibus cunctis fauebat Africæ,
Et omnibus prædonibus.
Incendio caſtella multa, & oppida
Placebat huic abſumere.
Mordere Turcas cerneres rabidos uti
Canes uiros, & fœminas.
O quot fuere cæſi ab his: quot & fame
Periere in atro carcere.
O quot Equites fortiſſimi, quot & Duces
Cecidere Melita in Inſula.
A qua repulſus Turca poſt adit Cyprum
Frangens fidem Venetis datam.
Hanc barbarus noctes, dies non deſinit
Vaſtare ferro & ignibus.
Nec credit illum, qui gubernat omnia,
Punire cunctos perfidos.
EN PONTIFEX QVINTVS PIVS *Sanctiſſimus*
Cum PVRPVRATIS FRATRIBVS,
Et AVSTRIVS PHILIPPVS *ille Hiſpaniæ*
Rex ſemper inuictiſſimus,
PATRES *ſimul* VENETI, *Patres iuſtiſſimi,*
Patres & Illuſtriſſimi
Fœdus ineunt nolle amplius pati feros

Sæuire

Sæuire tantùm Barbaros.
PRINCEPSq. conſenſu omnium, & ſententia
Delictus Imperator eſt,
Claſſis fidelium AVSTRIVS, *quia à* CAROLO
QVINTO *genitus eſt Auſtrio.*
Nam militaris hunc rei ſcientiam
Callere cuncti non negant.
Virtutis haud expertem adeſt auctoritas.
Nec procul erit felicitas:
Triremibus cunctis coactis deſerit
Ibericis Iberiam.
Portumq. Genuæ intrat fauentibus Notis.
Læta excipit Reſpublica.
Hic Principes ſunt Itali quàm plurimi.
Hic ſunt Duces, & milites,
Paucis diebus hinc abit Neapolim,
Neapolim clariſſimam
Doctis uiris, principibus & quàm plurimis.
Cunctisq. honorant Auſtrium.
Mox hinc abit Meſſanam, ubi moratur, &
Dum cæteræ aduolent rates:
Dum & tela, quæ cudunt Cyclopes incudibus,
Mittant, quibus cuncta urier
Cernas. Charybdis interim fluctus uorax
Nec attrahit, nec euomit.
Nec Scylla nautas territat latratibus
Canum ſuorum horrentibus.
Ut antè, non ferueт fretum Trinacrium,
Omnen quidem non peſſimum.

Adſunt diem ad dictam carinæ cæteræ:
Funesq. ſoluunt illicò;
Dant uela uentis proſperis, puppes uolant
Vnctæ per undas marmoris.
Claſſis breui Corcyram adit. mox hinc abit
Ad Gomenizas (ut ferunt)
Exercitum hic, claſſemq. luſtrat Auſtrius,
Vt militaris lex iubet.
MARCVS COLVMNA ANTONIVS *cum Heroibus*
De ſtirpe præſto eſt Romuli.
QVINTVS PIVS *pietate præditus pia*
Præfecit hunc claſſi ſuæ.
Pompeius hic Columna adeſt cum Proſpero.
Sabella gens, & Maxima.
Pandulphus hic Strozza eſt. Nigrinus, Buffalus,
Metellus hic Caraciolus.
Piſanus hic eſt Boza, Perpignanus hic,
Palotta, Thomasq. Medices.
VENETVS *hic claſſis Venetæ adeſt totius*
Ductor quidem inuictiſſimus.
Delegit hunc Senatus integerrimus
Cunctis datis ſuffragijs.
Quirinus hic, & Barbadicus inclyti,
Sed mæſtus hic eſt paululum.
Hic Bragadini adſunt, Grotus, Duodu: hic,
Nereides quos diligunt.
Canuleij clariſſimi, Cornelij.
Catharinus hic, Soperantius.
Hoſtesq. (fama ut eſt) feros, qui conterunt,

Sunt

Sunt Contarini hic ſtrenui.
Hic Lauredanus, Landus, hic Lipomanus
Piſanus hic cum Peſaro.
Molinus hic, Bonus, Caballus, Malipetrus,
Badouarius cum Fuſcaro.
Fratellus hic. hic Romierus non latet,
Nanus, & Gradenigus ſimul.
Non eſt Valerius Vallereſſus hinc procul.
Benedictus hic, Mezusq. adeſt.
Donatus hic, hic eſt Leo, Ciconia,
Paſqualigi, & Pizamani.
Zenus, Polanus, Mocenigus, Dandolus,
Bembus, Morus, Balbus, Tronus.
Aliiq. Veneti plurimi: quidam tamen
Frontem quidem læti parum.
At ille Iuſtinianus eſt hilaris: quia
Se nuncium ſperat fore
Victoriæ primum ſuis chariſſimis
Cum ciuibus, tum patriæ.
Hic ille COMMENDATOR *eſt* MAIOR, *nihil*
Curans necem ob ſanctam fidem,
Hic Figarola Illuſtris eſt, Cueuaq.
Vargas, Beneuides, Vergara.
Cardona, Dieghi, Argalia, Occaua, Aluarus,
Qui ſanctæ habet titulum Crucis.
Pirola, & Guardiola, Cicuta, Menganus,
Drazzus, Cimera, Criſſaque.
Hic Runius, Buſtus, Medinus, Mongiua,
Queſſada, Oieues, Paſacalus.

Hermandus hic, & Rocha Ful. Specianus hic,
Batinus hic, Emmanuel.
Heredia hic, Vaſcheſq. adeſt. hic Lephrias
Amadeus, Caidus hic.
Equites, Duces, multiq. fortes milites
Miſſi peruſta Hiſpania,
Veterana gens in prælijs horrentibus
Horrens nihil mortem horridam.
Allobrogum hic miſſi Duces à Principe:
Leininus horum Ductor eſt.
Octauianus hic adeſt Muretus; &
Non eſt Batallinus procul.
Adſunt triremes Thuſciæ hic, & inclyti
Equites, Duceſq. ſtrenui,
Quos ille MAGNVS COSMVS *ornatus* PIO
QVINTO *corona auri ſacra*
Miſit. ſed ille Fabius eſt Galeratus hic
Domus ſuæ, & patriæ decus.
Hic ANDREAS *Neptunus alter* DORIA
Ligurum manu circundatus.
Philippus hic eſt Doria. hic ſunt Spinolæ,
Grimaldus hic, Sancta Fedra adeſt.
Hic Iulius Centurio adeſt. Marinus hic.
Caſalis, Imperialis hic.
Hic roſtra Lomelina ſunt, Nigronaq.,
Nigronus hic Ambroſius eſt,
Qui cauſa mortis nigræ erit genti feræ.
Aloiſiuſq. hic Gamba adeſt.
Petrus ille Bartholomæus hic Nauarchus eſt,

Quem

Quem Lomelina dedit Domus.
Hic Bandinellus Saulius adeſt, Treſſanus.
Hic Baltius, Foliana adeſt.
Polydorus hic; Bellinus hic: Luanus hic,
Bua, Pelleranus, Stellio.
Hic Garibaltius, Lagana, Corniglia eſt,
Tienſa, Zurla, Coſtaq.
Equitesq. Melitenſes auent ulciſcier
Equitum ſuorum funera.
Princeps *adeſt Parmæ & Placentiæ micans*
Et oſtro, & armis aureis.
Vrbini adeſt Princeps uiris Mauortiis
Stipatus, hic Lunatus eſt.
Gonzaga Sigiſmundus hic adeſt ſuis
Cum Tranſpadanis ſtrenuis.
Gonzaga adeſt Octauius, qui patriæ
Virtutis eſt peræmulus.
Terræq. quos motu dedit Ferraria
Interritos perterrita.
Hic Corneus, Sanctæq. Floræ Sfortia,
Belli quidem duo fulmina.
Iordanus ille Vrſinus hic Heros adeſt,
Vrſa ſua horridus horrida.
Hic bellicoſus Paulus eſt Vitellius.
Hic Iulius, Rangonius.
Albericus hic Ludronius Germaniæ
Adeſt Tribunus militum.
Adeſſe Cæſar Aualos heu non potuit hic
Zephyris relictis nauibus.

Nec

Nec Vinciguerra Archus bonum cum nomine
Omen quidem ſecum gerens.
Aliiq. multi Equites, Ducensq., & milites
Abſunt Notis ceſſantibus.
Inſubrium pubes micans in lucidis
Armis ſtat hic & torquibus.
Adſunt Duces Cremonæ: & adſunt Brixiæ,
Quæ ſunt mihi chariſſimæ.
Et quos Crema educat ſimul cum Bergomo.
Verona quos, Vicentia.
Non hic uiri deſunt ab urbe Antenoris
Virtute plena præditis.
Nec hi tacendi ſunt, qui in obſcuris quidem
Non deliteſcunt angulis.
Taccus, Cania, Gancarolus, Caneuallus hic,
Horatius Fiſognius.
Hic Gaſparus adeſt Oxius, Bonfittus hic,
Paternus & Aſaitatus hic.
Nec Angelus deeſt; Auonal hic adeſt.
Et Condacollis non latet.
Georgius Græcus, Caraſſus, Sarnus hic,
Portus, Briſantus, Clappaque.
Alzatus hic. Cochinus hic. Lucichus hic,
Santubius cum Teſſera.
Cum Cipice Dominus, Turrianus, Daniel,
Securus hic, Pataruſq. adeſt.
Calergij hic adſunt. adeſt Bonus ſenex,
Quem terra miſit Gnoſia.
Omneſq. demum, qui fuere ab Italis

Miſſi urbibusq., & opidis.
Multiq. ab oris, quæ colunt ſanctam Crucem,
Vltrò parati ocumbere.
Omnes ſalutant Imperatorem ſuum
Hilares IOANNEM AVSTRIVM.
Heros in armis ſplendidus ſplendentibus
Hæc uerba cæpit dicere.
MIRARIER *nequis uelit me in florida*
Aetate delectum Ducem
Veſtrum maritimum ad hoc periclis maximis
Bellum refertum (ut cernitis.)
Nam cuncta, quæ fiunt ſub hoc cælo, quidem
Fiunt Superno Numine.
Quare mei Commilitones ſpernere
Nolite, quem elegit Deus.
Vobiſcum ero paratus ipſe perpeti
Duros labores. ipſeq.
Feram ſitim, famem. ipſe primus omnia
Mortis petam pericula.
Noloq. uos habere me ueſtrum Ducem:
Regem ſed hunc Regum omnium.
Extollit hic imaginem affixam Cruci
Nati Patris ſummi Poli.
Rex hic erit noſter, tuebiturq. nos
Ab hoſtibus crudelibus.
Promittit hic uictoriam certam. Ergo ſit
Ab omnibus timor procul.
Hic cerneres cunctos obortas fundere
Præ gaudio guttas genis.

Voluntq.

Voluntq. cuncti cuncta ferre incommoda,
Necem & cruentam pro fide,
Poſt conſulunt quid facto opus ſit. nec mora:
Pugnare ſtatuunt fortiter,
Cephaleniam uentis ſecundis inſulam
Spirantibus ſtatim petunt.
Andrada it exploratum ubi ſint Barbari,
Refertq. Naupacti in ſinu.
Olli Auſtrius cunctiq. Principes ſimul
Amittere haud deliberant
Occaſionem, quam Deus fert. & citò
Hortantur omnes, quo uelint,
Quod dixerint, re comprobare: nec fidem
Chriſti ſinant à Barbaris
Lacerarier. cuncti libenter uelle ſe
Dicant perire pro fide.
Hortatione non egent: nam ſtrenue
Turcas uolunt occidere.
Cephaleniam claſſis relinquit inſulam
Inſtructa triplici ordine.
Et ſeptimo Octobris die uenit, uidet,
Vincitq. (neruis omnibus
Prius tamen cum fortiter, tum ſtrenue
Pugnando) claſſem Barbaram.
Cælo it cadentum clamor, & pugnantium.
Pars ferro acuto concidit.
Pars glandibus miſſis cauo ære plumbeis,
Pars ferreis, magnis pilis.
Pars arcubus miſſis ſagitis illitis

Atro cruore uiperæ.
Pars ignibus Vulcani, & eſt miraculum,
Multos ſub undis urier.
Naupactus horret, Echinadesq., cùm uident
Rubeſcere mare ſanguine.
Tot Punicas cepit Duellius haud rates,
Tot milites, nec tot Duces:
Nec ille Pompeius latrones tot freti
Magnus, ſacri ut faſti canunt:
Octauius pugnando nec tot ad Actium
Ab his locis diſtans parum,
Antonium cùm uicit, & quæ finijt
Vitam nigris ſerpentibus:
Quot Imperator Auſtrius fortiſſimus
Cum fœderis ſodalibus.
Quid fecerit breui trium concordia,
Eſt omnibus notiſſimum.
Faceſſat hinc diſcordia. ò Cæſar ſimul
Regesq. cuncti, & Principes,
Qui confitentur Chriſtiana nomina,
Ferire fœdus hoc uelint.
Nunc recipiendi tempus eſt, quicquid fuit
Captum ratibus hoſtilibus.
Nunc tempus eſt pugnare cum Turca truci,
Terra, mari, velis, equis:
Vt tam potentem hoſtem queamus vincere,
Regnoq. tanto expellere.
Id nos monet Dux Pœnus Annibal ſciens
Hoſtes ſuos deuincere:

Sed

Sed neſciens parta utier uictoria,
Romana ut hiſtoria refert.
Nunc ſupplicationibus nos ſupplices
Orare decretis Deum
Debemus omnes, gratiasq. agere: quia
Tantam dedit uictoriam.
Nunc eſt canendum uoce quàm clariſſima,
Et mente quàm lætiſſima:
Io triumphe: io IMPERATOR AVSTRIE
Claſſis fidelis totius.
Io triumphe Pontifex PIE QVINTE*: io*
PATRES *micantes purpura:*
Io triumphe REX PHILIPPE *Hiſpaniæ.*
Triumphe VENETI *io* PATRES.
Io triumphe Principes, io Duces,
Pòſt hæc canamus ſupplices:
DEO PATRI, *atq.* FILIO *cum* SPIRITV
SANCTO *ſit omnis gloria.*
AMEN.

EPITAPHIVM.

Clariſſimi Auguſtini Barbadici, qui pro Patria, Chriſtiq. fide cum Turca apud Echinadas ſtrenuè pugnando occubuit.

ITALIA *noſtra ueſte pulla eſt obſita*
Pangens cruenta funera
Equitum, Ducum, fortiſſimorum militum

Pugnantium cadentium.
Pro Chriſtiana fortiter Republica,
Quos inter hic concidit.
Dum BARBADIGVS *enſe cædit Barbaros.*
Fixus ſagitta oculum heu perit.

PIO QVINTO PONTIFICI MAXIMO,

Incerto Auctore.

Vicquid perdiderat Chriſtus iam mille per annos
Reddidit una dies, te PIE *Quinte duce.*
Te duce terra madet Lutherano ſanguine Galla,
Millia bis octo qua cecidere uirum.
Dum regno trieteris erat, lux tertia menſis,
Hora quoq. Octobris ſeptima, dena fluunt.
Te duce & amiſſa numeroſa claſſe ſuperba,
Sanguine Turcarum fluctuat unda maris.
Quà Draco mæſtus erat, ſed nunc mæſtiſſimus aures
Perſonat, id nomen tanta ruina dedit.
Millia bis cecidere decem, centumq. triremes,
Atq. decem, & centum præda fuere tua,
Non fuit in terris unquam uictoria tanta,
Eſt diuina manus nunc operata mari.

Non

Non pius Aeneas, non tantum uicit Achilles,
Non Macedo, Cæſar, quiſquis & ante fuit.
Dum ſolij luſtro numerato, ſeptima menſis,
Hora quoque Octobris ſeptima, dena fluunt.
Luſtris ter centum, & bis ſeptem dum additur annus
Virginis à partu, regna tenente PIO.
O uenerande dies, ſemper memorande, quotannis
Omnibus æterno ſat celebrande ſacris,
Septima, dena parit, quoq. ſeptima, dena triumphat
Hora, dies, fœlix bella mouere PII.
Si uelis in toto dominari, ceſſerit orbis
Totus, & in toto iam Pia iura dabis.
O uelis, ecce, datur tempus, quo uictus ad Arctos
Barbarus aufugiat toto Oriente celer.
Non prius; id repeto, reuocatus in aſtra redibis,
Quam uenias regni ſub tria luſtra tui.
Proſequere audacter properans Orientis in oras,
En, Pater omnipotens per mare paudit iter.
En ſuperum Synodus, quam præcinuere ſibyllæ
Lanigeri primo concelebranda gradu.
Se rotat hinc rerum mutatio maxima mundo,
Qui modo ſeruus erat, te duce liber erit.
Te Pater omnipotens uocat huc, dant ſidera ſignum,
Ipſe dat effectus, i citò, uince, rege.
Erue tu CHRISTI *crudeli ex hoſte Spulcrum,*
Es Pius, in CHRISTVM *te decet eſſe pium.*
Hic Conſtantini ſceptrum gerat Auſtrius urbe
Fidus Ioannes, miſſus ab arce deum.
Vinceret ut Turcas, modo cui uexilla dediſti

Sancta manu, uicit plenus honore redit.
Forſan & ulterius uictor ſecat æquora remis,
Aſpice, in Autumno tempora meſſis habet.
Signiferois uertit equos hoc Phœbus in anno,
Deſeruit Chelas, ſeq. Leone rotat.
Littus ut inuadens geminata claſſe triumphet,
Et tellure, pia te comitante prece.
Sit timuli tutela dei, referatur ab ipſo
Diuus Ioannes, curam Orientis habens.
Carolus hunc genuit Quintus, ſuper æthera notus,
Rettulit, en, ſubito grandia facta patris.
Hunc PIVS *extollat pro religione tuenda*
Quintus, fortis erit Carolus, atq. Pius.
Cardinibus mundi dudum tribus Auſtria regnat,
Regnet & in quarto, tutus & orbis erit.
Sentit uterq. polus pietatem, ſentiat ortus
Non minus occaſu ſolis, adeſſe PII.
Perge mari, terra, qui iam iam uoluitur. anno
Hoſtis uictus abit, uel tibi pronus adit.
Res facilis certe, eſt innixa potentia claſſi,
Hac igitur capta, uis ſimul alta ruit.
Perge, precor, properans, ſpolijs Orientis onuſtus
Vnus iam Paſtor totius orbis eris.
Addita ter centum bis octo luſtra uidentur
Quintum ferre PIVM, *ſol ubicunq. uidet.*
Sumite Vergilij calamos, ſumatis Homeri,
Vos magis ò Superi ſcribite facta Pij.
Hæc tibi Muſa PIE *exhilarans uictricibus armis,*
Felſineæ lacrymis ſcripſit in urbe Ligur.
Nuntia

Nuntia cum primùm fama hic reſonaſſet ad aures,
Nubila diſcutiens cuncta, ſerena uolans.
Non agit audacem, eſt pia cum PIETATE *locuta,*
Et chorus Aonidum dicitur eſſe pius.
Non tibi conſuluit, quamuis ſit iure perita,
Mouit amor rerum, relligionis honor.
Nil petit, hæc uiuit ſuccis, & Apollinis herbis,
Læta tamen uiuit ſceptra gerente PIO.

IO. CANEVARII
IN MVSTAFAM.

ERgo tot heroas, tot lector Martis alumnos,
Tot claros uirtute uiros, tot lumina belli,
Aduerſus pactáq. fidem, fœduſq. receptũ,
Auſus es indigna, Muſtafa, extinguere mor(te?
Quorum et tu bello partum admiratus honorem,
Et memoranda tuæ ſtupuerunt geſta phalanges.
Teſtes; quos Lycia, & latis Bithynia terris,
Quos Babylon populos, quos ſolibus uſta Syene,
Quos diues palmis in prœlia miſit Idume,
Peſſime ſeruorum Thracis, Muſtafa, tyranni;
Diuini, humani iuris, temerator, & hoſtis;
Perfidiæ monſtrum ſæclis inſame futuris.
Morumne exactis hanc fæcem ducis ab annis
Spadones inter uiles, & regia ſepta?
An ſcelerum, & diræ iampridem conſcia mentis
Hoc animo uirus Stygia inſpirauit Erynnis?

Cum tibi tam celebris morderet gloria facti
Pectus, & inuidiæ ſtimulis agitaret iniquis;
Parua quòd innumeros Cypri pro mœnibus hoſtes
Suſtinuit manus intrepide, totieſq. cecidit,
Submouit; dedit in præceps, conamina fregit?
An, cum non aliter domino præſtare furenti,
Spirantiq. minas tumide iactata ualeres;
Belli arte inuictos toties expertus, & armis
Fraudibus exuperas, & proditione nefanda?
Sanguineq. illorum proprium delere putaſti
Dedecus, atque animum uel ſic explere tyranni?
Mancipij inſignem laudem, egregiumq. triumphum,
Si, quorum armatus uirtutem, atque arma timebas,
Fœderis obtentu prodens occidis inermes.
Non ueritus Nemeſim, uerſantemq. omnia ſortem,
Fortunæq. uicem, ac eadem tibi poſſe rependi?
Debuit ingenuo ſaltem ſatis eſſe latroni;
Contentum ſpolijs redimendæ parcere uitæ.
Heu quæ te rabies, quis te furor impulit amens?
Laudem promeritos non una morte trucidas;
Carnificis manibus crucias; crudeliter omnes
Dilanias artus, fœda atque indigna relatu
Omnia perpeſſis inter tormenta, necemq.
Obiectas CHRISTVM, *probra ingeris, omnibus illos*
Traducis populis tetri ſpectacula facti.
Ipſe ſuos fertur caſum indignatus Apollo
Auertiſſe oculos, facinus ne immane uideret.
Infandiq. ſoli timuit contagia Nereus,
Et tetigit trepido Salaminia litora fluctu.

Vicinæq.

Vicinæq. urbis refluens ſub mœnia Nilus
Suſtinuit dubium ſeptena per oſtia curſum,
Contigua oppoſitæ ne attingeret æquora terræ.
Aeolus indecorem referentia carbaſa prædam,
Infameſq. duces, boreali turbine adortus
Non tulit inſonti temeratum ſanguine fœdus,
Sed fremitu horrendum increpitans, & murmure ſæuo
Contorſit, repulit, totum diſiecta per æquor
Alliſit ſcopulis, infeſtiſq. obruit undis.
At uos illuſtres animæ, hæc terreſtria quondam
Corpora ſortitæ, cæli nunc regna tenentes;
Pro patria quibus, & pro relligione peracti
Manſuram, & fauſtam patriam peperere labores;
Perpetuum quorum famæ uix tempus, & unus
Vix ſatis orbis erit; pretio incertiq., breuiſq.
Temporis ęternæ meruiſtis præmia uitæ
Inuideat ueſtris famam uirtutibus hoſtis;
Aethereo inuideat felices lumine ſedes.

AD IOANNEM ANTONIVM TAYGETVM

COSMVS LAVRVS.

NAVTICA Chriſticolæ memoras dũ prælia gentis
TAYGETE; et THRACVM fortia facta ducũ:
MARS ſtupet: & ſalſis ſurgit NEPTVNVS ab undis;
Ambos quos ſequitur cetera turba Deum.
Vtq. olim Iſmarius dulci teſtudine uates
Demulſit Stygij pectora dura patris:
Sic alter plectro multò grauiore canentem
Audit doctarum te genus AONIDVM.
Tùm flatus alter tumidos; atque æquora placans,
Signa dat inſuetæ maxima lætitiæ.
Indicenſq. uagis choreas, & carmina Nymphis,
Omnibus hos coràm fundit ab ore ſonos.
Laudes TAYGETO. FEDERICO dicite grates,
Qui tàm præclarum ſuſcitat ingenium.

IO.

IO. ANTONII TAYGETI BRIXIANI

ECLOGA NAVTICA IDMON;

Seu Chriſtianorum & Turcarum Nauale certamen.

LVDOVICO FEDERICO IVRECON. Clariſs. Patricio Brixiano D.

EVRIDAMAS. IDMON.

DIc agè Pieridũ princeps, dic maxime Apollo
Prælia cæruleas Neptuni geſta per undas,
Dum ſtimulis acti Eumenidum gens effera Thraces,
Chriſticolumq. acris pugnat manus. O bona Muſæ
Progenies, primis colui quas ſemper ab annis,
Ecquæ erit è uobis, quæ me grauiora canentem
Laurigeras inter ſiluas, Heliconis ad undas
Siſtat, & optata cingat mihi tempora fronde?
At tu, quem dulces uenientem in luminis oras
Aſtræa, Autumni portas, chelaſq. relinquens,
Ipſa ſuas docuit leges, cuiq. innuba Pallas
Diuerſos cæli motus, ſtellaſq. micantes,
Et dedit occultas rerum cognoſcere cauſas,

Macte tuis, Federice, actis, & ſanguine auito,
Huc ades, & noſtris faueas precor optime uotis;
Non iniuſta peto, Tu nam perſæpe receſſus
Aonios luſtras, & dum felicia condis
Ipſe tua intentus miratur carmina Phœbus.

Gnoſius Euridamas, quo non præſtantior alter
Per uada ſalſa citam remis impellere puppim,
Et regere; & ſoles tempeſtateſq. futuras
Præcinere, & uariæ faciem cognoſcere Lunæ,
Inſtantes cupiens ſolers uitare procellas,
In loca tuta ratem impulerat, portumq. tenebat,
Quà formoſa ſitu, gemina formoſior arce
Corcyra, æquoreas late proſpectat in undas;
Dumq. hic Fortunæ ereptus, non horret aquarum
Agmina; uicino uenientem in litore uidit
Idmona, remigio doctum, puppiſq. magiſtrum,
Talibus atque illum compellat uocibus ultro.

Eurid. *Fallor? an iſta mihi quæ nunc occurrit imago*
Eſt umbra? an potius, quod mallē, eſt Cyprius Idmon?
Idmon es; ò dulci ſoſpes quòd ueſceris aura,
Quàm lætor dilecte mihi? Longæuus Amilcon
Dixerat, obſeſſæ tendentem ad mœnia Cypri,
Atque arma, atque epulas, & Bacchi dona ferentem;
Effugere armatas claſſes, atque agmina Thracum,
Non potuiſſe; imis quin te uel mergeret undis
Dira manus nimium, uel adacto in pectora ferro
Heu miſerum, æternis noctis demitteret umbris;
Sed te, quæ tantis Idmon fortuna periclis
Eripuit? noſtris & quis te reddidit oris?

Id-

Idmon. *Euridama, ut ſenior multis narrauit Amil-*
Milite cum patrijs cuperem ſuccurrere terris, (con,
Et Cererem obſeſſis uectarem, & uina; carinis
Iſmarijs ego præda fui, ſed compede uinctus,
Et iuſſus ualidos manibus propellere remos,
Verbera & aſſiduæ ſenſi fera uincla catenæ,
Optatam donec feſſo Deus ipſe ſalutem
Attulit, & celſo inſontem miſeratus olympo eſt;
Nam dum Threiciam telis & remige claſſem
Et ducibus penitus ſpoliat, primoſq. trucidat
Chriſticolum delecta cohors; mihi priſtina tandem
Reddita libertas, ſpolijſq. oneratus, & auro
En adſum, non umbra quidem, ſed Cyprius Idmon.
Eurid. *Tu'ne igitur præſens tanti certamina belli*
Horrida uidiſti, Ductorum & funera noſcis?
Hæc nobis auidis dum ſingula quærimus, ante
Fama loquax, obſcura tamen, narrare ſolebat,
Non ueris uera inuoluens; Tu protinus iſta
Dic quæſo dilecte Idmon; pendebimus omnes
Ore tuo; en iam te nautarum turba coronat.
Idmon. *His oculis, his inquã oculis hæc prælia uidi;*
Dicam igitur, magna eſt etiam meminiſſe uoluptas.
Threicius, miſeræ poſt diruta mœnia Cypri,
Ereptis lætus ſpolijs, regnoq., Tyrannus,
Iam tercentenis ſulcabat puppibus æquor,
Scilicet ut pelago, Venetoq. Leone ſubacto,
Et frena, & magno leges imponeret orbi;
Demens, qui tantis contraria numina uotis,
Nec uidit capiti ultrices inſtare ſorores;

Acer

Acer Halys, crudelis Halys, quem patre Doriclo
Conceptum, furtim gelidas ad Strymonis undas
Edidit Alcimede, primis aſſuetus ab annis
Ferre arma, & celerem cornu torquere ſagittam,
Atque pedum curſu uentos ſuperare; & in orbem
Vertere cornipedem rapidum, curſuq. citato
Comminus aduerſos haſtas effrangere in hoſtes;
Frigora tum, ſolesq. pati, Boreaq. furente,
Huc illuc uaſtum ratibus luſtrare profundum,
Primus erat claſſis ductor; quem proximus, armis
Conſilioq. ualens ſequitur Portunus; & audax
Sirrochus medias remis tranſire procellas;
Nec non & Libyæ ſolio ſceptroq. potitus.
Ruzzalis, Occhialiden populi cognomine dicunt.
Ergo ubi fama Pij Paſtoris nuntia ductu,
Hiſpanas properare manus, Latiaſq. cohortes,
Et cecinit lati magnas per marmora ponti
Aduentare rates, ultro quæ bella laceſſant
Horrida, & Iſmarias ualeant excindere gentes,
Armorum, claſſiſq. nouæ, numeriq. potentis
Non bene certus Halys, uarias ſub pectore curas
Voluebat; Tandemq. animo ſententia ſedit,
Certior armatos illi dum nuntius hoſtes
Narraret, claſſemq. mari decedere aperto,
Naupactiq. ſinus tutos, portumq. tenere.
Et iam Cimmerijs properans nox humida ab antris,
Duxerat obſcuras mundum complexa tenebras,
Solaq. candentes nobis Latonia uultus
Oſtendens, tremula ueſtibat cærula luce;
Cum

Cum ſolitus prædas uectare, & uiuere rapto
Carcozza, humentis per amica ſilentia noctis
Mittitur, exploret noſtræ qui robora gentis,
Telaq. & excubias claſſis, numerumq. reportet;
Nec longum in medio tempus, cum nare per æquor
Chriſticolum pictas cernit Carcozza carinas;
Dumq. acie cunctas numerare & cernere acuta
Nititur, eripiens miſero mentemq. aciemq.
Ipſe Deus, nigra uelauit lumina uitta;
Nam claſſis numeroſa, potens, magnumq. futura
Thracibus exitium, ſegnis, nec idonea bello,
Nec poſſe Iſmariæ uiſa eſt concurrere claſſi.
Vix Aurora polum roſeo patefecerat ortu
Lutea; cum fati ignarus, ſortiſq. futuræ,
Ecce hilaris Carcozza redit, mox talia fatur;
Chriſticolæ pereant omnes, uictoria noſtras
Læta ſuper uolitat puppes, optataq. nobis
Iampridem, felix tandem ſors obtulit ultro;
Heſperias nuper, luſtro dum cuncta, triremes
Perſpexi numero exiguas, atque artis egentes,
Militis, armorum, atq. ducum, quid bella moramur?
Linquite Ductores portus, & aperta petamus.
Talia dum memorat, ſubitò per inania magnus
Auditur multo mixtus ſtridore uolatus;
Dumq. oculos Thraces mirati ad ſidera torquent,
Acriter ecce uident, multo cum uulture, magnum
Pugnantem Iouis armigerum: atque hoſtilia aduncis
Vnguibus, & ſæuo rapientem uiſcera roſtro;
Sanguinis unde ingens ſupra caput affluit Imber.

Turbati ſtupuere omnes, quidq. omina poſcant,
Quidue ferant, tremula perquirunt uoce. Ducumq.
Primus Halys dubias mentes & pectora firmat.
Auſpicia è cælo nobis patefacta ſereno
Chriſticolas horrenda petunt, gaudete potentis
Strymonij regis proceres, & bella parate;
Nam qui nos auium tinxit cruor, omina nobis
Dat certa, Heſperio fluxurum ſanguine pontum,
Dum noſtrum illorum reſerabit pectora ferrum.
Sic fatus, ſocios ad pugnam hortatur ouantes,
Et portum linquens, latum migrauit in æquor.
Ipſe audax primas acies Carcozza regebat,
Sirrochus dextras agit, Occhialidesq. ſiniſtras,
Piratum ſcelerata cohors poſtrema coercet;
Hos inter ſpes magna ſuis, Portunus, & ingens
Ibat Halys, medijq. ambo, media agmina ducunt.
Interea iuſti ſuccenſus Martis amore
Magnus Ioannes, Auguſti inuicta propago,
Heſperiæ cladis, & ſparſi ſanguinis ultor,
Ad bella hortatus ſocios, ſuperosq. precatus,
Agmen agens aderat magnum: claſſemq. pararat
Quæ poſſet denſas Turcarum euertere turmas;
Cui comes it Venetum ſpes magna Venerius heros,
Et Latiæ columen gentis lumenq. Columna
Magnus: & Vrſini gemini duo fulmina Martis,
Corneaq. Aſcanius Ductor clariſſimus armis;
Atque ſimul medias ducunt miro ordine puppes
At Ligurum decus egregium, Dijs æmula proles
Bella fremit forti præcinctus milite, Princeps

Aurius, & dextrum ducit latus; inde ſiniſtrum
Barbadicus agit fortis, cui cruda ſenectus
Non minuit ualidæ uires animumq. iuuentæ;
Aluarus & rigidi priſcus Mauortis alumnus
Poſteriora tenet, magnæ anteriora triremes.
Ut primum mira tot ductas arte carinas
Tot ſigna, & proceres tantos, tot lintea uidit,
Mæſtus Halys, multa preſſus formidine pectus
Obſtupuit, ſiccisq. diu uox faucibus hæſit;
Iam quid agat, neſcit, placidos nunc denique uellet
Naupacti tenuiſſe ſinus; Tamen ipſe timorem
Diſſimulat, claſſemq. truces conuertit in hoſtes.
Nec mora, Chriſticolæ occurrunt; caſtusq. ſacerdos
Oſtendens uexilla crucis ſublimia, Turcas
Territat, & magna clamans ſic uoce profatur.
Aeternùm celſo ſuſpenſus ſtipite Chriſtus,
Aeternùm uiuat, Viuant quicunque ſequuntur
Dilectæ uexilla Crucis; mittantur ad umbras
Tartareas, Erebique domos, gens perfida Thraces.
Sic erit, ecce tonat læuùm Deus, ipſaq. nobis
Carbaſa felici complet turgentia uento.
Ergo utrinq. pari concurrunt impete claſſes,
Fit fragor, & clamore uirùm, clangore tubarum
Aequora lata ſonant magno, cælumq. remugit;
Aerq. & ſtrictis collucent enſibus undæ.
Maiores alijs Venetùm, armatæq. triremes
Et ſponte ante alias prima in certamina miſſæ.
Sæpius æratas ualido conamine glandes
Sulphureo iaciunt igni, quo murmure magnos

 Aequoreis

Aequoreis credas ſcopulis concurrere montes.
Tunc igitur laceræq. rates, cæſæq. cohortes
Turcarum, ſalſis latè labuntur in undis.
Cùm tot peſtiferas cædes, tot damna ſuorum
Reſpiciens furibundus Halys, iubet ocyus omnes
Ictibus ignitis auferri & credere puppes;
Sed nec iuſſa ualent: denſæ nam grandinis inſtar
Ferreá pila ruit, Geticas quæ denſa triremes
Quo ſe cumq. ferant, lacerat, ſternitq., premitq.
Sic igitur cæcas Orci demiſſus ad umbras
Thrax perit, & ſubito lunatum ſoluitur agmen.
Inſtaurant acies, adduntq. minantia uerba
Pro ſe quiſque Duces Getici, pugnamq. capeſſunt;
Atque hic tormentis iaculisq. & milite ſeptus
Sirrochus, medias acies circundare tentat
Chriſticolûm, ancipiti qui tunc certamine nixi
Comminus Iſmarias contra pugnare cateruas.
Non tulit hoc ſolers, & noſtræ cauſa ſalutis
Magna, ſed aduerſum tunc Barbadicus in hoſtem
Agmen agit propere adueniens, atque impedit orſa,
Nec ceſſat, donec telis, atque igne uoraci,
Et glande, hoſtiles, capto Ductore, carinas
Perdat, & innumeros mittat ſub tartara Thracas.
At Carcozza manu fidens, leuibusq. ſagittis,
Sirrocho amiſſo manet imperterritus, atque
Sæuit, & Auſonium pharetram conſumit in agmen;
Sternit Atyn, ſternit Lalagem, ſternitq. Theronem,
Et Fabarim, & puerũ Lauſum, & ſpem patris Abãtẽ
Adriaci; inuito is genitore ad bella profectus,

Vnica

Vnica progenies, matris pulcherrima cura,
Aeternùm miſeros liquit ſine prole parentes.
Additur his iuuenis Superantius; hic prius acrem
Senſerat emiſſam corpus ſtrinxiſſe ſagittam;
Ergo dum manibus uulnus bis terq. retractat,
Ecce illi Iſmarium penitus caua tempora telum
Traicit; ille dolens crudeli uulnere, letho
Voluitur, & Venetas moriens reminiſcitur oras.
Talia per noſtram geminat dum funera claſſem
Carcozza; aſſuetus prima tormenta iuuenta
Tractare, & celeres ex illis mittere glandes;
Cenomanùm genus, illorum quos Tropica uallis
Educat, hunc toruo iamdudum lumine Pentheus
Aſpicit, & motus greſſusq. obſeruat ouantis,
Si quando ualeat tantos abolere furores,
Claſſibus & ueterem Latijs arcere ruinam,
Vix apicem puppi extulerat, cum protinus illi
Glans uiolenta cauo contorta ut fulmen ab ære
Tranſadigit galeam, cerebriq. in uentribus hæſit.
Interea medijs utrinque in claſſibus, ardens
Sæuit Bellona, & reſonat clamoribus æther.
Nam cupiens Thracum miſeras ulciſcier umbras,
Et Regi magno ſe ſe iactare triumpho,
Clamat Halys; ſæuumq. gemens, & feruidus ira,
Ipſe ſuam furibundus ad horrida bella triremem
Ducit, & inſtat agens: Nec mente minora uolutat
Auguſti proles, celeri ſed puppe propinquat;
Vtrasq. innectunt donec retinacula puppes
Mutua, & alternis in pugnam uiribus itur.

Fit ſonus, hic ingens, hic pugna aſperrima ſurgit,
Quanta nec ipſa unquam uidit longæua uetuſtas,
Nec noſtra inſpexit, nec cernet ſerior ætas.
Threicij iaculis, & curuo fortiter enſe,
Glandibus Hiſpani, & rutilis mucronibus inſtant,
Pix, & flamma manu, ferrumq., & ſaxa, ſudesq.
Sparguntur, cocunt mixti, pereuntq. uiciſſim
Hiſpani, Thracesq. ſimul, mixtiq. Latini,
Et pede pes, manibusq. manus miſcentur; euntq.
Quò uel pugna magis ſæuit, uel denſius agmen.
Hic uideas paſſim remos, & trunca natare
Corpora, & hinc illinc magnas ardere triremes,
Sanguineisq. ingens conſurgere fluctibus æquor.
Ipſe ſuas medius lorica & caſſide fulgens
Auſtriades tali compellat uoce cohortes;
O pubes lecta, ò magni genitoris alumni,
O fortes pugnate uiri, nunc denique tempus
Eoas Chriſti uexilla extendere in oras.
Sic fatus, magnum confeſtim feruidus enſem
Vibrat utraq. manu, & medios prorumpit in hoſtes.
Quem primum, quem poſtremum, fortiſſime Princeps
Sternis? & æquoreis miſeros quot mergis in undis?
Ipſe tibi ante pedes ingentem ſtragis aceruum
Conſtituis, te ſæuus Halys, te Thracia claſſis
Horret, & aduerſum, dum das tot corpora letho
Aduenìſſe putant Hæmi de culmine Martem.
Quæ dum Threicius miratur funera Ductor,
Nec uidet Hiſpano iam poſſe obſtare furori,
Seq. ſuamq. ratem, innumeras reſonante carinas
Voce

Voce uocat, uocat & Geticas clamore phalanges
Ingenti, atque ducum tot millia cogit in unum;
Scilicet ut lætam ſucceſſu & Marte ſecundo,
Hiſpanam expugnet geminato robore puppim.
Primus, ut inſidias ſolers cognouerat; ergo
Nos erimus ſegnes ad bella? Venerius inquit,
Et ſimul in Geticum iam puppes uerterat agmen;
Hunc ſuper accurrere Equites, equitumq. magiſter
Quos Melite inſignis miſit, uenitq. Columna
Intrepidus magnæ nitidiſſima gloria Romæ,
Corneaq., & ferro Vrſini facibusq. coruſci.
Non mihi centenas tribuant ſi numina linguas,
Oraq. Neſtoreo ſint noſtra imbuta lepore,
Tot pugnas, ſæuasq. neces, tot uulnera poſſim
Dicere, tot ualeam laceras numerare triremes,
Viderat Iſmarium de puppe Venerius Acin,
Qui doctis carus Muſis, falſiq. ſacerdos
Maumethis, magna Maumethem uoce uocabat;
Protinus ecce ſenex ardentem lampada torquet
Incauti in faciem, illius diadema reluxit
Linigerum; accurrunt ſocij, properantq. uoracem
Vndanti lympha, manibusq. extinguere peſtem,
Non tamen hæc proſunt, miſeri quin flāma rubentem
Conſumat uultum, & totos deſcendat in artus.
Inde alias, aliasq. faces iacit impiger, illæ
Conſumunt tabulas, ratibusq. hoſtilibus hærent,
Dumq. uiri trepidant intus, Vulcaniaq. omnes
Militiæ obliti certatim incendia uitant,
Cum ratibus medijs ſubitò exponuntur in undis;

Extemplò his actis, æratam corripit haſtam,
Datq. neci hoſtiles turmas, agitatq. cadentes
Per mare, & ingenti redeuntes cuſpide pellit.
Parte alia clypeo fulgens atque enſe Columna,
Magnanimusq. Urſinus adeſt, Thracumq. uiciſſim
Innumera æterno demittunt corpora ſomno.
Portuniq. ratem, Getico qui milite, nuper
Sperabat magnæ properare ad mœnia Romæ,
Cum domibusq. Dei ſacrata euertere templa,
Inuadunt; ille Auſoniæ tot robora gentis
Aſpiciens, pugnæ inceptæ, oblitusq. pudoris,
Dat terga, atque ſuam Ducibus dat habere carinam;
Et iam Bæticolùm ualida comitante cateruа
Auſtriades, Thracum primos, primamq. triremem
Atque ipſum ſuperarat Halyn. furit impete uaſto
Hiſpanum generoſa cohors; lacerantq., cremantq.
Undiq., & hoſtilis ſpoliatur remige puppis.
Cùm fractos cernens ſocios, ereptaq. ſigna
Mœſtus Halys, manibus fulgentia proijcit arma,
Et tali Auſtriaden compellat uoce ruentem.
Per fortunatas inuicti Cæſaris umbras,
Per te, per magni felicia fata Philippi,
Me ſaltem ætherea captiuum ueſcier aura
Magne ſine, ingentes ſulcant mihi cærula puppes,
Eſt Thracum mihi magna phalanx, ſunt diuitis auri
Pondera; Tu ſpolijs tantis prædaq. potitus
Omnia ſolus habe, Auſtriades cui talia reddit,
Non auri me ſacra fames, non deniq. præda
Impulit, ut Geticas delerem Marte cateruas,
Sed

Sed Chriſti me uera fides, quam perfide tantum
Perſequeris, morere infelix; & talia fatus,
Cum galea infidum ualido caput amputat ictu,
Illud & arrecta geſtandum fixit in haſta.
Atque ea dum noſtris felici Marte geruntur,
Marte potens, pelago aſſuetus, patienſq. laborum
Occhialides, flammis, ferroq., & glande ruenti
Auſonidum armatas penitus, lectaſq. triremes
Strauerat, atque uiros lucis ſpoliauerat aura;
Et Liguris niſi dextra Ducis, præclaraq. uirtus
Obſtaſſet fortiq. uiro, atque immania cœpta
Turbaſſet; nunc læta minus, nobiſq. profecto
Eſſet cum multo Victoria parta cruore.
Hoſtibus ille igitur cædes ac damna rependit
Glandibus, igne, manu, ſaxis, ferroq. rigenti;
Occhialidiſq. ratem ſaltu petit, atque trucidat
Turcarum proceres multos, & turbinis inſtar
Fulmineus, gladio nunc hos, nunc excipit illos,
Atque metu trepido multos petere æquoris undas
Cogit, & infirmis pontum tranare lacertis.
Cum tandem Thracum media inter funera uidit
Occhialides ardens, illumq. affarier orſus.
Non Ligurum calcas puppes, non Itala cernis
Agmina, ſed medium cingunt hoſtilia tela,
Hoſtileſq. Duces; ergo ſpolia iſta relinques
Atque animam, & noſtris moriēs addere triumphis.
Dixerat, & celerem magno ſtridore ſagittam
Curuato cornu ſubito contorquet; at auræ
Excipiunt uulnus; Ductor nulla Aurius olli

Dicta refert, magnis ſed uibrans protinus enſem
Viribus aduerſum properat furibundus in hoſtem;
Extemplo gladium præceps fugit ille cruentum,
Inq. aliam ex alia ſeſe iacit ipſe triremem;
Hortaturq. ſuos, ualidos impellite remos
O ſocij; properate fugam, mihi terga flagello
Mars quatit, & noſtris iam non fauet amplius actis.
Talia cui Ligurum Ductor reſponſa remittit.
Quo fugis Occhialide? meritũ ne linque triũphũ,
En adſum, ſpolia iſta habeas; nihil ille; ſed æquor
Verrit, & obſcuras quæritq., optatq. latebras.
Et fugiens ſocios duro in certamine linquit;
Et miſeras audit uoces, gemituſq. cadentum.
Sic Thracum claſſe abſumpta; Ducibuſq. fugatis,
Et cæſis, noſtris fauit Victoria uotis.
Ductores ſpolijs, & præda diuite læti
Heſperij, multis complent clamoribus auras
Certatim, & caris dum multum amplexibus hærent,
Lætitiæ dant ſigna nouæ, & dum ſingula luſtrant,
Armaq., flexibileſq. arcus, pictaſq. pharetras,
Tormenta, ereptas puppes, ereptaq. ſigna,
Semineceſq. Duces; & dum quamplurima Thracum
Corpora cæſa uident, & millia captiuorum
Innumera; expleri nequeunt, grateſq. tonanti
Et ſuperis reddunt, onerantq. altaria donis.
At nobis qui Turcarum ſera uincula paſſi
Chriſticolis, ueteres ſoluunt, adimuntq. catenas.
Quid dicam Euridama? Cunctis quamplurima pectus
Gaudia pertentant, atque hæc maiora fuiſſent,

Ni Barbadicus longo deflendus in æuo
Turbaſſet lætas inopino funere mentes.
Ille etenim hoſtiles ſuperat dum Marte triremes,
Threicio periјt lumen confoſſus ab arcu.
O decus eximium Patriæ, lumenq. tuorum,
Marte ſenex celeber, celeber præſtantibus actis;
En te pro meritis alti plaga lucida cæli
Suſcipit, & uarijs cingunt tibi tempora ſertis
Aetherei proceres: En nos lacrymas, gemituſq.
Fundimus, atque tuo geminamus dona ſepulcro.
Tempus & illud erit, Pario cum marmore, & auro
Excelſum ſimulacrum ingens, patria optima ponat,
Teq. ſui, & Latij libertatiſq. parentem,
Dicat, & æternis mandet tua nomina chartis.
Eurid. *Sic Thracũ infauſtas Idmon cariſſime pugnas,*
Sic & Chriſticolum narras felicia facta;
Noctibus ut tecum totis, tecumq. diebus
Eſſe uelim, & tantos perſæpe audire labores.
Sed uos ò ſocij, poſtquàm Deus ipſe ferocem
Contudit, & noſtris pepulit de finibus hoſtem;
Adſitis precor unanimes, & templa petamus,
Votaq. thuricremas illi ſoluamus ad aras.

EIVSDEM ELOGIVM.

INTERMISSA *diu curis, trepidoq. pauore,*
Dum timet Iſmarias Itala terra manus,
Huc ades, aſpiraq. mihi, Pæanaq. lætum,
Atque nouum carmẽ nunc mea Muſa cane.

Sed

Sed ridens, hilariſq. ueni, nunc indue Pallam
Candentem, auratam nunc agè ſume lyram.
Vos quoque qui celſo ſuſpenſum in ſtipite Regem,
Atque unum colitis tergeminumq. Deum,
Ecquis erit ſacras qui non procumbat ad aras,
Ingerat & ſacris thura cremanda focis?
Spargite odoratos flores, atque urite meſſes,
Quas Arabum è terra diuite nauta uehit;
Atque uiri, atque ſenes, pueri, innuptæq. puellæ,
Fundite cum multa munera caſta prece.
Ille ferox, Getici nuper ſpes magna Tyranni,
Auſoniæ populis qui modo terror erat,
Qui modò felicis populatus mœnia Cypri,
Et rura, atque urbes diuitis Illyriæ,
Exul, inops, claſſe amiſſa, & rerum omnium egenus,
En periјt telis Barbarus Heſperiјs.
Captiuos uiditq. ſuos, captiuaq. tela,
Suſpenſa & ſacris parta trophæa tholis.
Vos quorum nobis Victoria parta cruore eſt,
Et ſimul eſt longo tempore parta quies,
Seu ueſtra in gremio tellus complectitur oſſa,
Seu tumuli uice uos æquora lata tegunt,
Panchæos uobis tellus ſubmittat odores,
Floribus & ſemper pullulet urna nouis;
Et magni Nymphæ proles pulcherrima Nerei
Excipiant placido molliter oſſa ſinu.
Nos uacuum uobis tumulum, exequiaſq. paramus,
Manibus & gratas ſoluimus inferias.
Cernitis illuſtres animæ ſolennia dona?

Auditis

Auditis querulis uerba iterata modis?
En uobis caſtus geminat pia uerba Sacerdos,
Spargit aquam, & tumulo thura Sabæa cremat.
Ecce rogat requiem: Manes ſaluete beati,
Salue ò Pieriis turba canenda choris.
Vobis pro meritis animæ iam patria cælum eſt,
Et ueſtro data ſunt aſtra terenda pedi.
At legio hoſtilis damnata in nocte profunda,
Obſcœna æterno crimina in igne luit;
Quam ſemper terno latratu territat ingens
Cerberus, æratas dum iacet ante fores.
Atque feros diris crines fœcunda colubris
Tiſiphone, aſſiduo uerbere terga ſecat.
Sed uobis quos incolumes uictoria felix
Seruat, & illæſos uiuere fata uolunt,
Quas agedum laudes, quos decernemus honores?
Et quis laudato uos ſatis ore canat?
Magnificus uobis debetur iure triumphus,
Nunc aperi pompas euge triumphe tuas.
Auratum Heroes magni conſcendite currum,
Et uictrix circum tempora Laurus eat.
Quiq. uehunt, ipſis efflantes naribus ignes,
Compita per niuei conſpiciantur equi.
Et poſt deuictæ ueniant longo ordine gentes,
Vectetur media Barbara præda uia;
Armaq., flexibileſq. arcus, pictæq. pharetræ,
Telaq. Threicia non iacienda manu.
Inde etiam ereptas puppes, ereptaq. ſigna,
Et pugnam oſtendat picta tabella nouam.

Nam

Nam Thrax, ut ſenſit Venetum aduentare Leonem,
Vidit & Hiſpani ſigna tremenda Ducis,
Aduentu infelix ſubito perterritus hoſtis,
Optabat celeri terga dediſſe fugæ.
Non tulit hoc Heros magni clariſſima proles
Cæſaris, Auſtriadum lumen, & Heſperiæ;
Sed claſſem curuum ſubitò lunauit in arcum,
Barbaricaſq. adijt Marte fauente rates.
Quis fragor auditus? quantos Tormenta boatus
Aerea, quæq. cauæ ſigna dedere tubæ?
Territus ipſe pater ſonitu Neptunus, aquarum
Ima adijt, clauſis delituitq. locis;
Et preſſit Thethys pauidas ad pectora Nymphas,
Ipſaq. monſtra alti contremuere maris.
Et iam ſanguineis emanat fontibus æquor,
Turcarumq. ſuper corpora trunca natant;
Cum laceras cernens puppes, fractaſq. cohortes,
Dux Geticus meritæ dat ſua colla neci.
Hæc uos pompa manet; quam uulgus pone ſequetur,
Et magna euge iò uoce triumphe canet,
Parte alia egregij uates pia carmina condent,
Paſtorem tollent & ſuper aſtra Pium,
Paſtor iò, bone Paſtor iò: Tu cauſa fugati
Hoſtis, & hoſtilis tu quoque cauſa necis.
Chriſticolas tu pace ligas; Tu fœdera iungis,
Vertis & in ſæuos bella tremenda Getas.
Nec deerunt qui perpetuis mandare libellis
Incipiant Venetum nomina clara Patrum,
Tu bello inſignis, tu florens pace ſenatus,

Tu

Tu uerum Auſoniæ, Chriſticolumq. decus.
Interea dum fata uocant, fortunaq. uobis
Aſpirat, celeri bella nouate manu.
Quæq. mala immitis noſtris ingeſſerat oris
Hoſtis, in illius ſint grauiora caput.

ALFONSI SALNESII DE FOEDERE INTER PIVM V. PONT. MAX. ET PHILIPPVM HISPANIARVM Regem Catholicum, clariſſimosq. Venetos in Turcas compoſito, DIALOGVS.

PONTANVS, ET NINIBÆVS.

HESPERIAE *dum Roma ferox labẽtibus annis*
Bella mouens Geticæ iactabat tela pharetræ,
Et trabeata ſuis gaudebat ſola trophæis,
O Ninibæe: faces ardebant inter utraſque.
Sed modo iam placidos ſecum componere uultus
Incipiuntq. nouas rerum ſibi ſumere formas.
Non ne recordaris uelut olim pila uolabant
Aduerſum Heſperias animoſo Marte phalanges?
Vt quoque Dardaniæ fœlix uictoria ceſſit?
Quàm modo teſtantur factis rutilantibus arcus.
NIN. *Præteriti repeto, Pontane, miſerrima bella*
Temporis, (heu miſero) dum fata nefaria uoluo;
Mens,

Mens, animuſq. dolet. Quid enim niſi uera profari
Prodeſt? debuerant etenim concordia mitis,
Atque fides conſtans iungi: nè tanta periret
Gens Hiſpana ferox, nec non Romana propago.
Sed tandem tempus fugitiuum cuncta reuoluit:
Nam uideo poſitos ſublimibus arcibus ignes;
Et uolitare focum rutilum ſuper aera fuſcum,
Feſtaq. per uicos fieri clamante Senatu:
Iſta dat Heſperiæ decus immortale Philippus
Gaudia Pontifici ſummo. Tu talia narres,
Lætitiæ tantæ uelis ac exponere cauſam.

Pon. *Regnant perpetuò contra fera regna tyranni*
Bella Philippæis inſignibus; atque minaci
Officiunt Turcæ Christi *rutilantibus armis.*
Turcus atrox fidei noſtræ ſæuiſſimus hoſtis
Pugnabat dubio crebrò cum Marte Philippo.
Sed nunc tempus erit, quo barbara diruet arma
Heſperiæ dux altitonans, quo Boſphora tela
Rumpentur Scythicis paulatim clauſa pharetris;
Aut nigra iactantis penetrabunt uiſcera Mauri.

Nin. *Quomodo (ſi nullus regnare potentior atro*
Orbe poteſt Turca, qui, iungens agmina diris
Grandia militibus, ſinuoſum diruet orbem:
Qui, uelut horrendus Leo, nullæ parcere prædæ
Scit, uel iactandis qui gaudet ſæpe ſagittis,
Gorgoneis qui tela iacit compoſta uenenis)
Concidet? ò utinam tremefacta potentia præceps
Nunc eat; ut toto regnet pax inclyta mundo.

Pon. *Clariferos inter Venetos, ſcis, tẽpore noſtro,*

Et rabidum Turcam ſatis impia fœdera cauſa
Mercis erant: quæ rumpit atrox ſine lege tyrannus
Bella mouens. Quæ fortè forent primordia noſtri
Magna mali, auxilium niſi duceret ampla poteſtas
Pontificis ſacri, uel maxima cura Philippi.
Nam pater ille Dei princeps, qui ſceptra gubernat
Eccleſiæ, & Veneti quorum per culmina cæli
Fama refert nomen, uires, & regia facta:
Et Rex Heſperiæ celeberrimus ille Philippus,
Vnanimes fiunt; ut poſſint fundere Turcam.
Diſſociare poteſt hos Turcæ nulla poteſtas,
Stagnanti quamuis pelago diſcrimina tentent
Mille modis uarijs: Sed quid diſcrimina poſſunt
Aduerſus CHRISTI *uexillum? perdita fermè*
Reſtituet, durusq. uagis ſuccumbet in undis
Thrax, cernes ruptas pelago ſpumante triremes.
Roma quid antiquos miraris grata triumphos?
Templa, theatra, domus aurata palatia, pulchra
Geſta ducum, reges tuos, & facta Quirini?
Temne triumphales arcus, & culmina famæ
Grandia, conſiderans redeunt ut tempora regni
Saturni, ueniuntq. Iouis iam ſidera grata.

NIN. *Lætitia premor (heu) nimia dum talia narras,*
Antiquos olim memini dixiſſe parentes,
Deficiet compreſſa Bos per bella poteſtas
Ardua: & amplexu iungentur brachia firmo.

PON. *Omne latus cæli rumpetur pondere lapſo,*
Igniferiq. cadent de ſummo culmine currus;
Et ſuper alta maris conſiſtent æquora lati

N *Sidera,*

Sidera, & errabunt obſcuris tecta tenebris:
Et prius æthereos producere terra liquores
Nolet, & obliquo decurrent tempora curſu;
Quàm ſoluatur amor fidus, quo iungitur almus
Chriſticola, aut periet ſpatioſi machina mundi.
Orat dum ſupplex diuina mente Propheta
Ille Deum, uincit: ſi deſinit atque precari
Vincitur. eſt uirtus fortiſſima: Sic modo uincet
Heſperus, & Venetus coniuncto numine patris,
Pontificisq. ſacri. Iam nunc Hiſpania bellax
Barbariam uincet minimo pugnando labore.
O Ninibæe ſacræ paulatim barbara regna
Eccleſiæ (ſic alma uolunt nam numina CHRISTI.)
Parebunt. Nunc feſta facit ſolennia Roma
Conſiderans quantam ſibi det concordia fœlix
Lætitiam, uel quanta ferat uictoria dulcis
Gaudia. (Nin.) Sic credo totum Pontane per orbem
Peſtiferi tremefacta iacet prius ampla poteſtas
Turcæ, conſpiciens diræ præſagia mortis.

Pon. *O Ninibæe ſacrum iam nunc oracula Diuum*
Implentur; quæ ſacra refert ſcriptura, futurum
Cernunt euentum: fiet nam paſtor, & unus
Grex; ac Idolis Babylon truculenta peribit.

Nin. *Nunc reddam grates tali pro munere Chriſto*
Iam ſiquidem properant firmiſſima pignora pacis.
Nunc uolo martigenum Romanum feſta uidere:
Et ualeas Pontane, licet diſcedere nolem.

Pon. *I Ninibæe bonis auibus: letiq. fruamur*
O utinam tantis feſtis; ut corda quieſcant
Aſſiduo ſæui belli defeſſa labore.

NAVALIS VICTORIÆ A SERENISSIMO D. IOANNE Ab Auſtria

CLASSIS CHRISTIANAE Duce Generali, ex Turcis partæ, breuis enarratio.

VELA dedit poſtquam curuis Hiſpanicus heros
Puppibus, Heſperiæ populoſæ labitur oris,
Fluctiſonum ſcindens æratis Nerea roſtris
Oceanos quærendo lares: ubi carbaſa Turca
Flata tenet, claſſemq. feram, uaſtando propinquas
Chriſticolum terras, Oriens quàs fluctibus ambit.
Iamq. per horriſonum pelagus dare uela triremes
Curabant, Thetidisq. uagos in gurgite cano
Perluſtrare ſinus: donec quæ litora uerno
Proxima ſunt Zephyro linquũt, tanguntq. Trinacrim
Sicaniam; calida iuxta quam Mulciber Aetna
Præparat arma Ioui. Siculo ſic carbaſa portu
Ad Mamertinos, claſſem componere cauſa
Conſiſtunt, ubi miles erat generoſior optans
Arma mouere truces in Turcas, & Venetorum
Inſignes homines roſtrata claſſe parati,
Et fremebunda ſacris Italum gens apta trophæis.

Omnis quo portu ſe præparat. Ac ubi quicquam
Ordine compoſitum fuerat, dant æquoris undis
Veliuolas proras: & tempeſtate ſerena
Itur ad Oceanum placidis ſpirantibus Euris.
Quæ poſtquam uidere ſacri de gurgite Diui,
Obſtupuere; uelut cum Dardana cominus arma
Laomedontæi cernunt. ſubitoq. timore
Concuſſi fugere procul, domibusq. ſacratis
Vulcani curant abſcondi: bella parare
Optantes ducibus noſtris, quòd per mare latum
Audebant ſic ire ſacri ſine numine Glauci.
Quos Neptunus amans belli, dominusq. minacis
Aequoris aſpiciens fugientes, undique clamans
Accerſit; timidis quibus ardens talia dicit.
Credideram, ſuperi comites, uos numina uaſti
Eſſe maris: ſæuum tenuit mea dextra tridentem;
Ardentes fluctus, & monſtra marina gubernans:
Vos etiam pelagi regere ardua clauſtra putaui.
Quod ſi uera profor; quæ nam dementia ueſtros
Perturbare poteſt animos, ut corda timore
Vrantur? patiemur enim, ſi numina ponti
Sancta ſumus, regnent alij? proh dedecus ingens?
Num ne rapi impunè Diuorum ſceptra licebit?
E domibus proprijs uelli quis linquet in orbe?
Externos homines nobis hæc tollere clauſtra
Linquimus? & fugimus, cum nos uictoria certa
Spectet? Fremebunda nigri ſoluantur Auerni
Flumina, concurrant animoſo Marte phalanges
Vndarum: quæ quicquid aquis ſubmergere poſſint,

Vndique latrantes diſſoluas Aeole uentos:
Circius ora replens ſpiret reſonante boatu,
Vulturnusq. rapax, ac Auſter fulmine pollens
Et Zephyrus linquens clementis nomina, contra
Acres horrificus factus uomat ore ſuperbo
Flatus, & Boreas, dominus ſeptemq. trionum
Carbaſa compellant nigrantibus undique uentis.
Deſine Glauce nigras iam paſcere gurgite Phocas,
Et fias iterum tumidarum cultor aquarum,
Vt miſeris uoluas contraria tela procellis.
Piſce ſedens reſona magno clangore tubarum
Per freta ſuſtollens animos, & nomina Triton.
Et uos cæruleis uirides Nereides antris
Verſantes pugnate: feros ut fluctibus hoſtes
Voluatis. Siculos habitantes uirginis inſtar
Syrenes ſcopulos, meliori carmina cantu
Concelebrate: uiros molli dulcedine cautes
Vertite, & æquoreis mergatis uallibus; olim
Vt ſocios Ithaci truncos feciſtis Vlyſſis.
Hæc cum dicta forent, miſſa formidine belli,
Omnis in arma ruit: cœpit quoque quisquis adire
Mulciberum, qui tela daret. Quo tempore Pallas
Armipotens Aetna uerſans, petit arma ſonaci
Vulcano: quibus illa ducem decorare Ioannem
Auſtriacum flagrat. Quæ cernens ordine recto
Ire Deos in bella truces; Neptunia clamans
Numina flammiuomos oculis ſpirantibus ignes
Alloquitur, ſummo iactans de uertice criſtas,
Iratasq. ferox tollens ad ſidera uoces,

Talia facundo declamans ore profatur.
O Diui cur tanta ſacras incendia mentes
Perturbant? gelidæq. premunt hæc pectora curæ?
Quò ruitis? quò ueſtra uolant Mauortia tela?
Cui breuiter Neptunus ait contendere cauſam:
Præcipuè oſtendens, quanto percuſſa timore
Numina fugerunt amplas Iouialis ad ædes
Vulcani. cui pauca refert contraria Pallas..
Poſſe latere Deos nihilum quod in orbe, putaram,
Verſatur: uos arma tamen ſine lumine rerum
Accipitis, uultisq. ſacrum de culmine Diuum
Dici, cum nullos ſulcantes æquoris alti
Cognoſcatis aquas, decepti bella parare
Curetis contra dominum; qui tollere quærit
Hoſtes, quos medio pelago diſcurrere cernit
Vt dominos. Clarum non uos cognoſcitis illum
Heſperiæ regis fratrem? qui monſtra domare
Deſiderat Turcæ, dicentis cuncta creata
Submitti imperio proprio, dominumq. potentem
Eſſe caui pelagi? Venetos non cernitis urbis
Cultores placidæ, qui tollere ſceptra furenti
Neptuno poterunt? Vobis hæc gloria Diui
Magna datur: pellant Hiſpanica tela furorem
Barbarici, qui ſceptra Dei rectoris aquarum
Arripuit: uoluitq. maris metuendus in undis
Verſari, nihilo faciens ſacra numina ponti.
Dicite, quæ preceps ueſtras inſania mentes
Verſat? ut indomitum linquentes æquore Turcam
Accepto medio ſeſe iactare triumpho:

Nunc

Nunc contra placidos uentorum regis amicos
Arma mouere fero certantia Marte uelitis?
Nunc uobis, quas Turca ferox iam ſuſtulit, amplè
Reſtituentur opes Hiſpano uindice. Quod ſi
Heſperios animis contra pugnatis iniquis,
Non credam uos eſſe Deos. Mihi credite; Turcam
Vertite: ſecurum cernetis tempore paruo
Pontum: quem dirus nunc poſſidet ille tyrannus.
Hæc ubi dicta dedit feruens Tritonia Palas:
Aſſenſere Dei. Boreas tamen omnia contra
Seſe facturum promittit: deſerit atque
Ille Deos fugiens ad tetri litora Turcæ.
Sed Pallas comitata Deis citò peruenit antè
Hiſpani ducis aſpectum: cui turba Deorum
Auxilium præſtare parat: uenerando Ioannem
Auſtriacum, ueluti ſi numina fulgida Phœbi
Aſpicerent: omnes ad ſidera clara polorum
Extollendo manus clamant: Victoria certa
Eſt tibi: Turca ferox gelidis ſuccumbet in undis.
Tunc capiti Pallas galeam, clypeumq. ſiniſtræ
Impoſuit, cœpitq. ducem componere noſtrum
Armis, quæ dederat fumoſa Mulciber Aetna.
Sed iam tempus erat pugnæ: Quo forte triremes
Ordine diſpoſito ueniunt, certamen inire
Curantes. Sed puca prius fortiſſimus heros
Militibus referens generoſis talia dicit.
O decus Heſperiæ: ſi quando tempore belli
Pugnaſtis, Turcas telis ſuperando feroces;
Nunc magis, omne genus temnentes mortis acerbæ,

Debetis pugnare ſacri pro nomine CHRISTI,
Defendendo fidem, quam barbarus ille fatigat.
Nunc tempus pugnæ, quo quisquam nomina famæ
Acquiret magni defendens regna Philippi.
Nam ſi uictores euadimus, omne ſubactum
Parebit noſtro imperio: Si barbara contra
Agmina (quod dominus nolit) nos æquore rumpunt:
Perdidimus regnum cum nomine. Temnite mortem,
Eccleſiæ ſanctæ pro numine tela mouentes:
Nam qui priuati fuerint uitalibus auris,
Aeternè uiuent; & mortuo corpora ponto
Reſtabunt, animæ uerum cæleſtia tangent
Sidera: orbe boni remanebit gloria facti.
Vos Deus omnipotens ad cæli gaudia dulcis
Magna uocat, duro ſi pondere corporis huius
Exonerare parat, miſeriſq. educere terris
In regnum ſine fine potens. Quò CHRISTVS *amator,*
Amplectens animas placida uirtute coruſcas,
Iam ueſtros perduxit auos. Pugnate feroces:
Nam uobis dabit auxilium Deus arbiter æqui.
Vobiſcum fertis dominum terræq. mariſq.:
Aſt illis inimica fauent nunc Dæmonis arma.
Quòd ſi Chriſticolæ uos uicti terga fugentes
Vertitis, an patrios ſperatis tempore paruo
Poſſe uidere lares, niſi captos? & ſuperatam
Heſperiam? totumq. orbem concurrere bellis?
Sed quoniam Fortuna uocat clamore ſuperbo;
Vt tandem pugnæ ſoluamus tempora iuſta,
Et uos magnanimos uideo, delector abunde.

Hic

Hic iterum ſæuos hoſtes pater ille tremendus
Carolus aſpexit: uerum tunc noluit armis
Decertare, uidens quam ſit Fortuna reuoluens,
Euentus dubios promittens: nunc tamen illa
Nobis affirmat clarum ſpectare triumphum
Poſſe. Quid eſt igitur quod poſſit pectora ueſtra
Perturbare? Quidem nobis uictoria certa eſt.
Vos mare longinquos claudit; ne uertere terga
Poſſitis: uos nulla ſalus manet undique ſeptos.
Tempus adeſt, ueſtri quo præmia magna laboris
Sumetis: nam Turca timet: dominuſq. polorum
Submerget pelago cum tetra gente triremes.
Vt merſo inſignem Moyſi Pharaone triumphum
Ille dedit, mergens falcatos æquore currus.
Orat pro uobis pugnantibus omne creatum:
Iamq. Pij Quinti Summi ieiunia Patris,
Et ſacra, placarunt iram clementis IESV.
Romani terræ domini pelagiq. patentis,
Atque Quirinales patres, genteſq. togatæ
Summi Pontificis iuſſu: qui fœderis huius
Aduerſus Turcas pharetratos extitit auctor,
Hic adſunt; Quorum imperio quod lumine matris
Sol rutilus luſtrat flammanti, paruit amplæ.
Præterea Veneti cultores urbis aquoſæ:
Quorum ſi tantis Reſpublica mota procellis
Non eſſet, varioſq. daret Fortuna labores,
Sola ualet Turcam bellis ſuperare potentem.
Nunc partum pugnis alijs Romanus honorem
Oſtendet: Venetuſq. ſuæ fulgentia famæ

Signa dabit pugnans. Italum gens undiq. bellax
Indomiti cordis decorabit nomina factis.
Tres ſumus unanimes, quorum, ſi quiſquis adiret
Hoc munus, ſolus pelago ſubmergeret hoſtem.
Fortiter eſt igitur pugnandum; uel moriendum.
Tunc tacuit, rigidis uexilla minantia Turcis
Expandens. Quibus aſpectis non paruula miles
Gaudia ſuſcepit, promittens corde ſuperbo
Tradere ſe pugnæ, quamuis diſcrimina tentet
Mille; licet morti mandetur tempore belli.
Tunc heros genibus flexis ueneratur adorans
Effigiem innocui referentem uulnera CHRISTI,
Quam uexilla tenent cæleſti tincta colore.
Et ſic exclamans ait. O moderator olympi
CHRISTE *nitens: ſanctæ bellis qui conteris hoſtes*
Eccleſiæ, tollens infandis regna tyrannis:
Nunc ſiquidem licite pugnamus, regia Turcæ
Sceptra mari fundas; ut te ſine fine bonorum
Laudemus dominum. Ne linquas quæſumus undis
Hunc mergi populum, propria quem morte paraſti.
Auxiliare tuis: oculos conuerte precamur
In nos: nam quoties placidos oſtendis ocellos,
Vincimus audaces hoſtes, lætiq. triumpho,
Collaudare tuum incipimus per ſæcula nomen.
His dictis incenſi animi dant ſigna trophæi
Venturi: nam quiſquis auet ſe tradere morti.
Omnibus unus amor belli, licuitq. uadoſo
Fortunam tentare mari. Sic ordine miles
Currentes animo iuncto prærumpit in hoſtes.

Iamq. quieſcebant undæ: cum quiſque uidere
Cœpit ab anguſti uenientes arce triremes
Lepanthi, quærendo malum; quod manca pararat
Fortuna. Ac ubi coniunctæ fuerant, cito cantant
Claſſica: nam reſonat ſtrepitu taratantara magno.
Inter utraſq. pari concurrunt Marte triremes,
Raucarunt ſubito motæ clangore tubarum.
Atque prius crepitando ferox bombarda ſonabat
Horriſono ſtridore ruens; rumpendo triremes,
Et lacerando feros homines. Hic rupta triremis
Viſcera ſciſſa tenens medijs demergitur undis.
Ruptaq. ueliferi ceciderunt pondera mali;
Combuſtæ proræq. cadunt, puppeſq. recuruæ.
Tunc tonitru certare polos, uel in æthere nubes
Credideram: labiq. ſacro de culmine currus.
Sed Boreas curans promiſſis ſtare, iuuabat
Principio Turcis, inflans currentia ponto
Vela nigro: uerum comites cum uidit in atros
Ire hoſtes, ſubitò linquit commercia Turcæ:
Et uenit ad noſtros iam circiter arma mouentes.
Qui, poſtquam iuncti fuerant, ſine mente timoris
Ad gladios uenere truces: hinc pila uolabant,
Et contra iaculis pugnabat certus, & arcu
Turca minax, Scythicis iuxta pugnando ſagittis.
Interea iuuenes fortiſſima tela gerentes
Pontibus exponit ualidis Hiſpanicus heros:
Vt quidam Turcæ ualeant ſuperare recurſus,
Per remos alij currant, uincantq. triremes,
Ingrediendo feris pugnent ut fortiter armis,

Turcarum mittantq. rubro nigra corpora ponto.
Impaſti piſces lapſorum uulnera lambunt
Immedijs undis: nam tunc Neptunus ad antra
Cæruleis portare facit, quæ mortua lymphis
Corpora ſunt: laniantq. auido diſcrimine piſces.
Protinus Auſtriacus iam tunc dux agmina Turcæ
Perſequitur, ueluti nobis promiſerat ante.
Intortis nam membra iacent pelago obruta telis
Maurorum: medium corpus tranſuerberat ictu
Cuſpis acuta, rigens ſpumantia corda retorquet.
Non lorica moras, nec ferrea pectora præſtant,
Ne rumpant calidi præcordia corporis enſes.
Labitur hic moriens, recidens ſuper arma, cruorem
Ore uomens. Hiſpana tamen clamoribus inſtant
Agmina: dum cernunt meliori Marte triremes
Vincere: nam pelagus tam multa cæde rubeſcit,
Nec non Turca tremens iacet obrutus undique telis.
Sed noſtri tandem ſupero iam Marte triumphum
Ducentes, uictam retinebant æquore claſſem:
Plures biſcentum celeres rapuere triremes:
Turcarum perijtq. ducum gens inclyta pugna.
Quòd poſtquam uidit Libycæ Carthaginis ille
Perfidus euerſor, nec non Algiricus atræ
Confugens Rex mortis onus, maris ardua tentat
Culmina cærulei: quem non potuere fugentem
Rumpere. Nam nox alta ferens prænuncia ſomni
Vergebat; triſtis chaos inſcrutabile mortis:
Et iam per duodena uehi Sol aureus aſtra
Liquerat, igniferis conſiſtens curribus, alta

Sede

Sede ruens: tacitæ iam Lunæ lucida ſurgunt
Cornua: cum noſtri gaudentes Marte ſuperbo
Iunguntur, (res digna ſcitu) per lata uideres
Aequora Turcarum deuolui corpora tali
Iuncta modo, ut nullus poſſet diſcernere pontum
Inter collapſos Turcas. Quos turba Deorum
Ponto ſubmergens in nigrum mittit auernum.
Summe Pater cæli, terræ moderator, & undæ,
Quem tibi dant cælis tanto pro munere, terra
Detur honos: curent mortales reddere grates:
Iam ſiquidem cernunt cariſſima pignora pacis
Hoſtibus extinctis, tigres quos collibus atræ
Hircanus aluere, ſilex genuitq. Sicanus.
Victor ouans propera, nam te Capitolia Romę
Condecorare uolunt, & laurea ponere ſerta
Inuicto capiti: ueluti poſt Gallica bella
Cæſar habet, ueteresq. duces Parnaſia laurus
Ornauit, quorum uiridanti tempora ramo.
Fama erit Auſtriace toto celeberrima mundo
Hæc tua: nam te ſaxa uocant, & monſtra potentem.
Et leo qui ſenſit ferratæ uulnera clauæ
Amphitryoniadis, cernens te monſtra domare,
Corruet ante pedes. Ardens Bellona timebit,
Marte ſedente fores claudentur, reddet honores
Parthenope lætos ob nuncia grata quietis.
Namque tibi Deus omnipotens, moderamine mundi
Vna concedet poſt Martia prælia claras
Cælorum penetrare domos, & fulgida clauſtra.

CLAVDII CORNELII FRANGIPANIS
In Naupactei certaminis victoriam.

EIectum Oceano monſtrū, claſſemq. ruentem
Dicite ſacratis crepitantia turribus æra,
Et plauſus geminēt pueri, innuptæq. puellæ
Sacra ferāt, ſuperiſq. piū moduletur honorē
Pura cohors, ſurgat centenis hoſtia in aris.
Nubibus æthereæ facies uenere fugatis,
Iam nitet aurata conſurgens lampade cælum,
Et caligantes compreſſa grandine nimbos,
Fulminaq. Eoum iecit furibunda per axem.
Barbaniæ periere acies, ceciditq. ſuperbum
Agmen, iam Iſmarijs claſſis cællata colonis
Obruta uorticibus fracta eſt, ſubijtq. profundum.
Ionium petijt ſecreta cubilia patris
Naupacti, traheret miſera dum cæde rubentem
Canitiem; curuis pauitans immugijt antris
Aegeum; gemuitq. inſurgens cornibus Iſter.
Barbaricos etiam retinens Achelous honores
Delituit ſcopulos inter; ſua funera fleuit
Concolor inſtrepitans [illegible]doſis faucibus Helle.
Et dum fulmineo ſtreperent circum ære tonantes
Magnanimi Alcides, cælum caligine ſepſit,
Et ferus obſcuris nigrantem nubibus Auſter
Obduxit faciem; crebris, ac imbribus Eurus
Subſtitit,

Subſtitit, & Boreas glaciali indurùit aura.
Ite ò crudeles animæ uidiſtis in undis
Heſperios tandem ueſtras exurere claſſes;
Irrita tela ducum, ueſtriq. inſigne Tyranni
Terribili ſqualore Hecaten concurrere in æquor:
Dumq. inhumata aderunt uolucri capita aſpera ponto,
Ite animæ fluuium Ditis luſtrate ſeuerum,
Lugenteſq. lacus, atque atri limina Regis.
Quà Phlegethonteo graueolentes ſulfure lymphæ
Decurrunt, dirumq. premunt Plutonia monſtra
Eumenidum facies, & triſtis ianitor Orci.
Per uos longa diu populis faſtidia ſæuæ
Durauere necis; per uos innabilis olim
Moles uiſa maris; poſtquam uos fata tulere,
Subſidunt Euri, ſubſidunt æquore fluctus:
Et comitum ſpecies, & numina magna natantum,
Quæ maria alta colunt, uicinaq. litora circum
Conueniunt, leuibuſq. uolant per Nerea plauſtris.
Mirandus Proteus gaudet ſibi ſumere formas
Innumeras, ridetq. feras deludere nymphas:
Dum uage tortilibus Triton dat murmura conchis
Ludunt Nereides; Glaucus, iuueniſq. Palæmon
Cymothoen certant profugo ſuperare natatu.
Iam rerum pater Oceanus, qui aſpergine terras
Inſtaurat, riſu tandem cognoſcere pacem
Incipit, & cælo refluit deuectus aperto.
Nunc longè impauidus piſcator naufraga tendat
Retia, ſecuruſq. cibis de litore fallat
Credentes acies, argenteaq. agmina captet.

Nunc tumidis alas albentes explicet Auſtris
Nauita, Niliacaſq. elidat claſſibus undas;
Neue hoſtem timeat tremebundum, ac turpe ſubire
Seruitium; uiuat ſecurus quiſque per æquor.
Iamdudum horreſcens imo ſub gurgite Nilus
Torpet inaceſſi latebris caput abditus aluei,
Fæcundoſq. negat latices diffundere campis,
Nuper terra ferax ſiccis uaneſcit arenis;
Ac ſi flammanti labatur in aera curru
Magnanimus Phaeton; olim conſcendere cælum
Auſus equis patrijs mundumq. ambire meatu.
Squalent arua ritu, & paſſim ſitientibus herbis
Siluarum cadit omnis honos; quo Syrius ignem
Fatiferum accedens iterum uaga nubila ſumit.
Sed quo lætitia ingenti uictoria lapſa eſt
Adriacis grandæua parens ſubmittit alumnis
Venturæ auſpicium pacis, diuæq. quietis.
Autumne inuentis te decedente racemis,
Floret humus uiolis, immortaliq. Amarantho
Picta iterum flores ſubmittit ſuaue rubentes.
Munera textilibus Dryades ueneranda caniſtris
Ecce ferunt; iterum ſpargunt uacinia circum
Pallentes uiolas, uenenisq. è flore corollas.
Tempus erit, quo Marte grauis miteſcet Erynnis,
Paſtorq. imperium magno cum rege tenebit
Auroræ, pone Adriaco comitante Senatu.
Tunc Maumetheæ deerunt ueſtigia fraudis,
Tunc nitidos flores cælo placidiſſima tellus
Sponte feret; gaudens æternis frondibus arbos

Vltro

Vltro producet fructus, incultaq. uitis
Maſſica ſponte dabit generoſi munera Bacchi.
Tunc ipſi fontes beneolenti aſpergine paſſim
Effugient; ipſa Hyblæo tunc flumina circum
Melle fluent; dulci ſudabunt nectare quercus.

INCERTI.

In pictorem eandem Victoriam fingentem.

EN, Plegma phalanx dūuerſat remige pōtū
Excidiū Heſperiæ intentans, dū fulmine ſæuo
Perfidus Endymion in terras arietat hoſtis,
Vt cadat, ut magni pereat ſub lege tonantis.
En pater omnipotens tandem miſeratus ab alto
Immeritas clades, inimica in prœlia miſit
Tergeminam coniunctam aciem; quæ claſſibus agmen
Protinus infandum liquidis immerſit in undis.
Obſtupuit cælum; tonuit domus ardua Olympi;
Infremuere undæ; circum tremere omnia uiſum eſt,
Pugnaciſq. Dei ſtrepitus formidine ſtrauit
Naupactum pugnas è litore proſpectantem.
Sed quamquam tantas ſtrages lux finijt una,
Ut trepident meminiſſe ſui fata horrida Regis
Iſmariæ gentes, opifex monumenta tabellis
Dat mirus pictis centum euaſura per annos.
Interea dum picta aderunt fracta agmina chartis,

Fama ipſa Ionio aſſiſtens pernicibus alis,
Ore ingens, clangore ingens, præcordia centum
Voce mouens, late cunctas uulgabit in urbes
Regnatorem Aſiæ ſupremo Marte cadentem,
Et noſtras uentura feret per ſæcula palmas.

ALEXANDRI ALLEGRI.

HECTORA *dũ recolit mærens, Illiq. parẽtat*
Vrbs Rhetico poſtrema iugo, & pia funera ſoluit;
Quippe memor magni quo ſe cõplexus amoris
Præſidij hic uigilem curam ſanctiſſime geſſit;
Extructi in medio tumuli, mirabile dictu,
Heſperiæ ſimulacrum ingens; cui pectora crines
Obſtruerent, & tetra femur cupreſſus obiret;
Aſtitit: & triſtem macie, lacrymiſq. madentem
Attollens uultum, ſic inter ſacra locutum eſt.
Heu numquam celebrande ſatis toto orbe leuamen
Nate meum ſpolia hæc Aris circundata, ſuntne
Inclita quæ caræ ſpondebat dextera Matri?
Quæ cum gramineis deberem cernere ſertis
Ornatum, & reduci generoſæ figere fronti
Oſcula; terribili deplorem morte peremptum
Te, ſocioſq. tuos, & clara ex ſtirpe nepotem.
Et mente intuear crudelia uulnera, & artus
Mancipij quos ſtrage fera laniarit auari

Abiurata

Abiurata fides in libera colla furentis.
Ah dirum facinus: fers ne execrabile monſtrum
Hoc tellus? Nec ſciſſa cauo iam perdis hiatu?
Haud ſimile exitium tua te mi nate manebat
In diuos pietas. Nimium ſed cognita uirtus
Hoſti uiſa potens. Docuit Salamina Tyrannum,
Te uiuo pendere ſuis ceruicibus enſem,
Sanguine qui Thracium diſtrictus tingeret æquor,
Victricibuſq. uiam ſignis pateſaceret ardens:
Dum peteret latebras Regno ſpoliatus Eoo
Tergeminum temnens numen bellator iniquus.
Sed poſtquam hinc uiſum eſt ſuperis te poſcere, et inter
Indigetes ſacro conſperſum membra cruore
Siſtere, & æternum ſidus componere cælo;
Ne ceſſes precibus diuinam flectere mentem:
Quo uideam inuictis percuſſi fœderis armis
Selimi euerſum Imperium: beluamq. cruentam
Infandi dantem ſceleris per compita pœnas.
Hæc dixit, ſubitoq. leues receſſit in auras
Atque abiens templum diuino impleuit odore.

AD R. P. MAVRVM TEXTOREM. S. T. D.

DE ACTIACA VICTORIA ob proſligatam Turcarum Claſſem.

AVG. FL. CAM.

VT Pelago icubuere Rates: iã iãq. propinquæ
Hoſtiles puppes propius cernũtur ab Hoſte.
I licet exurgit ſpes de VICTORIA *utrinq.*
It clamor cœlo: atq. inſtructo Marte Phalanges,
Haud mora, cunctæ ad tela ruunt, Vulcaniaq. aptãt.
Hortatiq. Duces ſocios, nauale corona
Hinc inde aduerſi ualidum labuntur in Hoſtem
Procurſu rapido, ut ſolet ad prædam Leo ferri.
Eminus exploſa igniuomentia ut Aera dedere
Principio tonitrus, ac crebris ictibus ignes.
Iam Mare, iam cęli horrendum intonat Axis:
Iam gemitum tellus dat litora ſingula circum.
Interea Claſſis pia Chriſtigenum ocius ecce
Perq. Hoſtes, igneſq. ruens, celereſq. ſagittas
Turbinis ac fumi nebulas, media Agmina uaſtat.
Dumq. inſtans Hoſtis uires, ac uulnera miſcet,
Hunc ſuperans tanta proſternit imagine Mortis
Virtute ac ferro, rubeant ut Cærula cæde
Ingenti: Vix tot capere utq. cadauera poſſint.
ACTIACA *Auguſtum huc fecit Victoria clarum*
Totius ac Mundi Imperio meritò inde potiri.

ACTIA-

ACTIACA huc rurſus facit en Victoria claros
Chriſticolas: Trino ut, ſummoq. Deo duce, & uno
Totius hinc Mundi inuadant mox (Maure) Tyrāni
Regna pij Reges: pietas niſi, iuſq. peribit.
ACTIACOS ludos inſtaurent ergo Quirites.
Auſpicijs Magni Diademate tempora Patris (rus
Tergemino ornati. Hos Veneti, ac Rex magnus Ibe
Atque pius populus, magno qui ſparſus in orbe eſt,
Sectentur, maiora experti gauida nunquam.

Epigramma.

DE VICTORIA OB ILLATAM
Cladem Turcarum Claſſi.
AD MAXIME R. P. EGIDIVM
Antiſtitem Carcerum.

SAEPE fuit uictor; multos perſæpe Triūphos
Turcarum Princeps egerat eximios.
Cum procul auxilijs haud rē decernere ferro
Nec uirtute ſua Chriſticolis licuit.
Aſt ubi nunc tandem coniunctis uiribus una
Conſultum Reges his uoluere malis,
Auxilijs propè necnon rem decernere ferro,
Ac uirtute ſua Chriſticolis licuit,
Vnica nunc Hoſti clades (mirabile dictu)
Vix illata (Pater) protinus ecce facit.

Quòd nunquam fuerit uictor, nulloſq. Triumphos
Turcarum Princeps egerit eximios.
O pietas noſtros miſerantis ubiq. labores
Munus idest Chriſti, quem rogat alma fides.

Ode Sapphici Carminis.

Solue ſolennes pia gens ad aras
Iam Deo grates, meritoſq. honores:
Voueras & quæ pia uota triſtis
Cum prece multa.
Cum Cyprum inuaſit metuendus Hoſtis
Thracio portu religando Claſſem;
(Proh nefas) icta ac temerauit alma
Fœdera pacis.
Lilijs ædes, uioliſq. odoris
Iam ſacras uela, ſimul atque feſta
Fronde; iam paſſim chorus omnis almos
Concinat hymnos.
Haſq. labentes repara, ſoueq.
Iura, ut his ſaluis ualeant miniſtri
Principum, ac plebis ſcelera expiare
Sacra litantes.
Fausta nam lux Chriſticolis refulget,
Qua procul ſit triſtitiæ tenebræ;
Victor exultat VENETA *ora, & omnis*
Cœlitus Orbis.
Quòd Crucis fulget rutilus Triumphus
Exteras inter, temereq. gentes
Orbis & cœli Domini negantes
Numina CHRISTI.

Boſphoro

Boſphoro ſtratum ueniens in æquor,
Adriæ cui ſe ſinus iſte miſcet,
Viribus magnus, ualidaq. Claſſe
Barbarus Hoſtis.

Terruit CHRISTI *populum fidelem,*
Ne graui clade Idalia potitus,
Cuncta uaſtaret populando deinceps
Litora, & Vrbes.

Aſt ubi flammis, rigidoq. ferro
Sæpe bacchatus furit hac, & illac
Sæuus, atque auſu propius nefando
Omnia turbat.

En' Pij Reges coeunt in unum,
Clari & Heroes: cita queis utrinque
Mittitur Claſſis numeroſa, quæ dat
Carbaſa uentis.

Quam Noti nulli, aut Aquilo, uel Eurus
Nec ab Occaſu, quoque nec Eoo,
Nulla nec cautes Pelagi morantur,
Nulla Charibdis.

Ac uelut ſaxum ruit imbre uulſum
Vertice è Montis, rapit atque præceps
Quicquid inuoluit nemorum, uirorum
Atque labores.

Sic ſecat fluctus Zephyris ſecundis:
Vndiq. explorat, Dei & acta ductu
Prorſus aduerſa, ac metuenda diro
Conſtitit Hoſti.

Huncq. (ut extinxit penitus Piratas

Inclytus Pompeus acie ſuperbos.
Cæſar aut Gallis Venetis Carinas
Contudit olim.)
Marte profligat penitus cruento.
Plurimiſq. actis Stygias ad undas
En agit uictrix ſpoliis, uiriſq.
Ecce Triumphum.
Ante uix qualem haud inimicus unquam
Geſſerit, nos cum DEVS *irritatus*
Tradidit pœnæ ſcelere, ac tremendo
Numine læſus.
Paſtor exultat Gregis ecce CHRISTI
Maximus. Magnus quoque Rex Iberus.
Clari & Heroes generoſa onuſti
Undiq. præda.
Hinc Crucis ſigno faciem notatæ
Iubilum Plebis, Iuuenum, Senumq.
Explicet quis nam? Pueriq. ſine
Ut ſine plaudunt?
Trinitas ſumma, ò DEVS *unus, iſta*
Omine æterno ſtabilie, precamur,
Impia ex nunc ſuppoſiti ac Tyranni
Deſtrue Regna.

NICO-

NICOLAI PALADINI PHARII.

AMISSO Imperio Cypri Cytheræa negabat
Marti Irata ſuo Baſcia grata dare.
Hinc claſſem Venetam conſcendit uindice dextra
Indignatus Amans, Barbara uela capit.
Vnde Trophea ferens è Cypro expellere Thratas
Spondet, Baſiolum datq. refertq. Deæ.

Eiuſdem.

Fœlices Animæ, fœlicia pectora ueſtrum
Queis ante ora uirum tot millia contigit orbis
Oppetere, ad ſcopulos Ithacæ inter ſtragis aceruos
Naumachiæ, Thracum ſumptis è funere pœnis,
Ne uiolaſſe ferant ueſtrum ſe fœdus inultos.
Veſtram Threicio decoraſtis ſanguine dextram
Illuſtri pugna, uictores fronde uirenti
Phœbea crines Europæ cingitis, unde
Dat longas ueſtris pompas læta ipſa Triumphis,
Sol radiat ſine nube dies, auriſq. tepeſcunt
Intempeſtiuis Zephiri. Autumnalia plena
Arua roſis, uario ac florum uernantia odore,
Viuida ueſtra dedit uirtus hæc ſæcula in Armis
Venturis omni ueneranda Nepotibus æuo.
Vos immortales mortali lege creatos
Dijs miſcent ſuperis lauriq. & Carmina Vatum.

P. Ful.

P. FVLVII.

HVMANI genus rector, ſeruator, & auctor
Christe potens canimus dum tua dona; faue.
Auſtriaca dux gente ſatus, quo fratre Philip-
Rex gaudet, Graio uictor ab orbe redit. (pus
Mœonia res digna tuba, geniove Maronis
Compoſitos tenui perferet arte modos
Inter Achæorum terras, & Echinadas, amnis
Eueni Nereus excipit altus aquas.
Huc claſſes coiere pares, non uiribus æquis
Frangit, & attollit pectora cauſa, ducum.
Altera tercentum roſtris, turmisq. tumebat
Innumeris, fidens robore, Marte, noto.
Altera freta pijs armis, uotisq. ſecundis,
Cæleſtiq. potens alta ſecabat ope.
Iam propè conſtiterant acies, atq. obuia ſignis
Signa minabantur, perfida Luna Cruci.
Parte Ligur dextra ductor, læuaq. regebat
Adriacus lectis agmina denſa uiris.
Regius aſt heros accendens uoce cohortes,
Et claſſem luſtrans, Carolus alter erat:
Poſtquàm aciem redit ad mediā, dominamq. carinā;
Concinere extemplo claſſica ſæua iubet.
Tartareos imitata ſonos dant tympana ſignum,
Et rauco clangens increpat ære tuba.

Hic

Hic ſpes arrectæ feriunt clamoribus aſtra,
Diſploſisq. globis æthra fragore tonat.
Spumant conuulſæ remis ſtridentibus undæ;
Concurrunt celeres per uada ſalſa rates.
In ferrum ſine more ruunt, & cominus inſtant:
Martius & cuneos miſcet utrosq. furor.
Aere micant fluctus, fumo ſubtexitur aer:
Ingentem referunt litora pulſa ſonum.
Iam laxos arcus, pharetras iam ſentit inanes
Barbarus; & iaculis, glandibus, enſe perit.
Hoſtiles cecidere duces, cecidere phalanges;
Captaq. uictrici Turcica roſtra manu.
Nereidas ſtupuiſſe ferunt tot ſtragis aceruos,
Et tanta Ionios cæde rubere ſinus.
Miratusq. pater Nereus, fluitantia uaſto
Gurgite cum uidit corpora & arma uirum;
Inuiſum pondus ſiccis proiecit arenis,
Lætatusq. ſua eſt regna uacare metu.
Quin auſis etiam ducis, & felicibus orſis
Arridens, tales edidit ore ſonos:
I nunc Turca nocens; oras populare; quietas
Irrita gentes; frange Tyranne fidem.
Inſtaura claſſes armisq. uirisq. ſuperbas;
Præda Aquilæ rurſus, præda Leonis eris.
Inſtructis latos campos legionibus imple;
Magnanimi uires experiere ducis.
Excierat nuper quem Bætica terra, tumultum
Compreſſit quanta proſperitate puer?
Acer & ingenio, ferus & certamine Maurus

Contulit aduerſo ſigna nefanda Deo.
Tu quoque terrarum & pelagi prædator & hoſtis
Impius infenſo numine bella geres.
Hæc ait, atq. oculis puppes comitatur ouantes;
Imperat & nymphis concelebrare diem.
Lætitiæ nunc ergo nouæ dant æquora motus;
Quæ prius infeſtas ſuſtinuere rates.
Spectator pugnæ maiori lumine luſtrat
Cynthius Heſperias, exhilaratq. polum:
Culmina collucent lætis, & compita flammis;
Alta coronatis turribus æra ſonant.
Fulmina congeminant arces; tremit arduus æther
Lætifico plauſu tecta uiæq. fremunt.
Caſta ſacerdotum in primis manus, omnis & ordo
Mollibus actutum proſiluere thoris.
Sacra citi delubra adeunt, gratesq. per aras
Votaq. perſoluunt, & pia dona ferunt.
Cunctorum eſt uox una; Deus, qui temperat orbem,
Non ſurda iuſtas accipit aure preces.
Hunc tandem afflictis iuuenem ſuccurrere rebus;
Vltorem & ſtatuit nominis eſſe ſui.
Prœlia conſilium teſtantur prima Tonantis,
Prœlia palmatæ digna decore togæ.
Quanta gerendarum ſunt hæc primordia rerum?
Maxima uis pueri eſt, quanta futura uiri?
Carolus ipſe pater ſi tunc reddatur ab alto,
Gratetur nati gloriæ, an inuideat?
Perge igitur, cœptum, dux inclite, perfice munus,
Quodq. fidem ſuperet poſteritatis, opus.

Te

Te Deus ad maiora uocat; ne ſperne uocantem.
Ille tuo ſubdet colla ſuperba iugo.
Te Pœni, Thracesq. timent, & Iſaurica tellus;
Pontica gens horret te, Gnidos, Hermus, Halys.
Te ſanctis Iudæa locis, te fertilis agris
Syria, & Armeniæ regna uetuſta manent.
Te uocat Epirus, cupiunt Pharſalia Tempe;
Te Macedum fines, te Danaumq. uolunt.
Te uagus Eridanus, Tuſcus te Tibris honorat,
Te Tagus obſeruat, Bætis, Iberus, Ana.
Te Meſſana libens fruitur, te læta tuetur
Trinacria, & Rhenus te colit, Iſter amat.
Auſtriaci generis lux, Regis cura potentis,
Es patriæ uindex, urbis & orbis amor.
Aeternis mandent uates tua nomina chartis;
Prætereat laudes pagina nulla tuas.
Regales niueo ſpirent in marmore uultus;
Effingatq. nouo te nouus ære Myron.
Iamq. dies aderit ſuperum ſperata fauore,
Cum reducem uideat poſt pia bella Pius.
Roma triumphales arcus, ludosq. nouabit;
Eriget & medijs pegmata celſa foris.
Atq. ades extremis optatus, dicet, ab aris:
Non minor, Auguſtus quàm pater ante, uenis.
Ingredere ô felix, Pie, Maxime, Victor; honoris
Nomina ſunt meritis inferiora tuis.
Tunc ope barbarica, ſpolijsq. inſignis Eois,
Et procerum medius conſpiciendus eris.
Cernentur uinctiq. duces, gentesq. ſubactæ,

Oppidaq.

Oppidaq., & uarijs rapta trophæa plagis.
Inſolita admirans Tiberis ſpectacula, credet
Sæcula cum ducibus priſca redire ſuis.
Vectus laurigero ad diuum tunc limina curru,
Suſpendes pictis hoſtica ſigna tholis.
Inde Pius pater accipiet te fronte ſerena;
Et dabit amplectens oſcula blanda ſenex:
Luminaq., ac geminas tendens ad ſidera palmas
Cælitibus gratas fundet ab ore preces.
Hic magnis maiora tuis accedere factis,
Teq. frui geſtis tempora longa, petet.
Audiet has Chriſtus uoces, & uota precantis;
Audiet; & uates ſic ego uerus ero.

Eiuſdem.

Cum lento nuper leo forte ſopore iaceret,
Extrema huic cauda eſt dente reſecta Canis.
Euigilans fera terribiles exardet in iras,
Et lacerat ſeuo protinus ore Canem.
I nunc audaci, Canis improbe, dente Leonem
Irrita, ut fias nobilis eſca feræ.

In Claram Corneliam.

Cum generi, pariterq. trium Cornelia Clara
Natorum audiſſet funera pro patria:
Quid lamenter? ait conſtanti pectore mater:
Et

Et cælo, & patriæ me genuiſſe iuuat.
Inuideam potius natis, qui ſanguine uitam
Aeternam in ſuperis promeruere choris.
O Venetas inter clariſſima fœmina matres,
Inuictos animi robore uincis auos.
Ergo polo tua te uirtus iam clarior aſtris
Deſtinat, ut natis digna fruare parens.

IN AVGVSTINVM BARBADICVM.

ET meritis grauior dum Barbadicus, & annis
Turcica nauali prælia Marte gerit:
Dũq. pharetratas acies, puppesq. neſandas
Vrget, & Ionias cæde colorat aquas:
Threicia læuum transfixus arundine lumen,
Et properante necem uulnere, lætus ait.
Aequo animo terris iam cedimus, otia quando
Auſoniæ noſtro parta cruore domus.
Quamq. breui natura parat finire ſenectam,
Exigat hanc patriæ relligionis amor.
Dixit: & æthercam penetrauit ſpiritus aulam,
Summaq. uirtutis præmia uictor habet.
Huic ergo geminam peperit cum funere uitam
Eminus hoſtili miſſa ſagitta manu.
Namq. animus cælo fruitur, ſemperq. triumphat:
Nominis in terris fama perennis erit.

INCERTI.

VT gemina Ioniȷs concurrit claſſis in undis,
Altera ab Eois, altera ab Heſperiȷs:
Continuò fluctus poſuit, placidæq. paludes
In marem, faciles prebuit æquor aquas.
Mox celeres Eurus dictu mirabile, pennas
Contrahit, & Zephyris concaua uela tument,
Nimirum has uires nobis, uentosq. ſecundos
Et lacrymæ, & Quinti uota dedere Piȷ.

Eiuſdem.

DVM Pius aſſidua placat prece numina læſa,
Et claſſem in Turcas dum mouet Auſtriacus:
Aequore in Ionio magno peperere triumphum
Pontificisq. preces, Auſtriaciq. manus.

IOANNIS CÆSARII
AD IOANNEM AVSTRIACVM.

SI, dum pubſcies, uirtus te bellica cælo
Inſerit, & ſuperis reddit honore parem:
Quid tibi fata dabũt, fuerit cũ firmior ætas,
Cumq. annis creſcent inclyta facta tuis?
Non

Non mare, non tellus capiet tua nomina: dicet
Non etiam cælum Iuppiter eſſe ſatis.

HERCVLES CIOFANVS SVLMONENSIS DE FOEDERE INITO AD uerſus Turcam.

PHOEBVS *ut exoriens fugientis lumina lunæ*
Opprimit, & pleno fulgidus orbe micat:
Sic Turcæ immanis uires Chriſtusq. Piusq.
Oppimet, atque heros Auſtrius, atque Leo.

De eodem.

V T *quondam aggreſſos cælum tentare gygantes*
Iuppiter impoſitis montibus edomuit:
Sic Pius ipſe pater magni cum ſanguine Carli
Agmina Turcarum conteret, atque Leo.

De Ioanne Auſtrio.

QVOD *nunquam potuit multos præſtare per annos*
Carolus, en natus præſtitit ante diem.

De eodem.

NON *potuit Cæſar Turcarum attingere claſſem,*
Attigit hanc natus nec mora perdomuit.

AD M. QVIRINVM VENETVM.

MArce decus patrię, tutela et firma bonorũ,
Sarmaticiq. ſoli terror, & hoſtis atrox,
Inſignem titulum, quem iam nõ ſorte tuliſti,
Viribus aſt ualidis, intrepidoq. animo,
I ſequere, & reliquos, qui ſunt in fœdere ſancto,
Iunge tibi, pœnas impius ille dabit.

De Venetis & Turca.

Sopierat ſomnus fuluum, fortemq. Leonem,
Hunc canis obtundit, contudit ipſe canem.

DE M. ANTONIO COLVMNA, QVI DEVICTIS TVRCIS triumphans Romam ingreditur.

ACTIACO fuerat clarus certamine Cæſar,
Hoſtes inq. fugam uerterat ille ſuos.
Clarior eſt Marcus, ualidos qui contudit hoſtes
Intrepide, & uictor nunc redit in patriam.
Eſt quod Roma tuo multum grateris alumno,
Antiquos titulos reddidit ipſe tibi.

De

De eodem ad Romam.

HIc prope Naupactum Turcarum claſſe ſubacta,
Innumeros ducit Martia Roma Getas;
Eſt ubi pugnatum collatis undique ſignis,
Fortius at noſtri conſeruere manus:
Hinc, tua quæ quondam fuerat, uictoria parta eſt,
Rurſum Tarpeius Mons tua facta uidet.

AD PROCERES EVROPÆ, VT ADVERSVS TVRCAS unanimes bellum gerant.

HESPERII Proceres in Turcas bella mouete:
Tollite nunc animos, & maxima facta parentũ
Veſtrorum ſpectate: domo nunc pellite gentes
Immanes, noſtra toties quæ cæde tumentes
Aequora luſtrarunt, ſpernentes agmina Chriſti.
Ite ſimul reparate ſacri monumenta ſepulchri,
Prodijt unde ſalus populo expectata fideli.
Ipſe ſuam nunc præbet iter ſeruator ad urbem.
Regnaq. Byzanti, longum regnata per æuum

A proauis noſtris, ditioni iungite ueſtræ.
Omnia quid ſtatis fidei uos lumina noſtræ?
Nempe reuerſurum ad nihilum (ſotere probante,
Aequora qui mulcet, cælum, terraſq. gubernat)
Quod fuit ante nihil. Quare uos pergite læti
Perdere nunc hoſtes, ueteresq. referte triumphos.

HIPPOLYTI CAPILVPI.

CYPRIA, *ſeu celeri ueheris ſuper æthera concha,*
Siue Gnidi niueo nunc premis arua pede,
Aſpice ut Aegæis exultãs Barbarus undis
Auferat editi rapta trophæa Cypro:
Ille tuos populatus agros, tua Regna, ſuperbus
Iam ſibi terrarum cuncta ſubacta putat.
At tumidum tu merge ſalo, & da piſcibus eſcam,
Nam potes, e rapido tu Dea nata mari es,
Et Boreas paret tibi Amoris ſaucius arcu,
Saucius & pelagi Rex tua iuſſa facit.

DE BELLO A TVRCARVM Rege in Venetos excitato.

VALERII PALERMI.

TEucri olim Veneris ductu temerare penates
Tantum auſi Graios, hoſpitijq. fidem:
In patriam retulere, ſimul cũ cõiuge rapta,
Bella, faces, luctus, deniq. & excidium,
Nunc Turcæ uiolant Venetos, & fœdera frangunt,
Et duce Diana regna aliena petunt.
Si paribus pœnis ſimilis ſit culpa luenda,
Imminet exitium perfide Turca tibi.
Hoc mage, quo Veneta arma magis felicia Græcis,
Et maioris adeſt numinis auxilium.

EX AMORE BELLA.

CVM Venus imbellis mater dicatur amoris,
Atq. animo, ut forma, prædita fœmineo;
Cur eadem eſt coniux Vulcani, & adultera Martis,
Qui noua tela parat, qui fera bella facit?
Cur? niſi quod blande primum Dea captat amantes,
In furias captos, mox & in arma rapit.

Francisci Morandi Sirenae
DE FRANCISCO DVODO V. C.
maioribus triremibus Venetæ claſſis Præfecto.

Dvodus, ob innumeros nequicq̃ territus hoſtes
Primus ĩ aduerſos arma, animoſq. parat.
Primus ab arce ratis uaſtæ noua fulmina torquens,
Barbarico tingi ſanguine uidit aquas.
Primus membra feræ gentis diſiecit in auras,
Membra auidum Protei mox alitura pecus.
Primus cæde, metu, flammis, fremitu omnia complet,
Quo ſocia eſt maius robur adepta manus.
Primus, ut ancipiti in pugna ſuperarimus, egit.
Quid? Dvodi nunc ſtat res Veneta omnis ope.
Cur igitur non prima ambit præconia? mauult
Factis, quàm fictis laudibus, eſſe prior.

POMPEII VGONII.

Caeſaris inuicti prolem, domitumq. canamus
Nerea, et addictũ noſtra ſub arma fretũ.
Martis opus moueo: belli tuba Martia ſignũ
Intonet;

Intonet; ex humili ſurge age Muſa ſono.
Quis ſcit an hæc ſummi ueniant in Principis ora,
Perq. ducum uolitet pagina noſtra manus?
Tale decet docto tenuari pectine carmen,
Quale PIVS nutu QVINTVS biante probet.
Quo procerum hybernis reſonent ſub pellibus aures,
Siue tuæ AVSTRIADE, ſiue COLVMNA tuæ.
Maius onus certè, maioraq. uiribus auſa,
Sed ſors audenti Calliopeq. fauent.
Nec ſemper ſaxo fiunt delubra uetuſto,
Stant etiam magno parua ſacella Deo.
Et pauper, cui nulla nitent aulæa ſacerdos,
Feſta luce, humili limina fronde tegit.
Sic ego uictrices in prælia ducere turmas,
Ordiar, & forti ſigna ciere tuba.
Vt ſi quis, nimium tantis es laudibus impar,
Increpitet, poſſim dicere pauper eram.
Qualis erit ſed cumq. mihi ſonus, annue Phœbe,
Detq. bonum cœptis dextera carmen auis.
Quis ueteres Argos, Menelaæasq. Mycenas,
Quis neſcit portus alta Corinthe tuos;
Hic anguſtus ubi geminum mare diuidit Iſthmus,
Naupacti excepit barbara uela ſinus.
Improbe tu ne ſinus Dijs es renuentibus, auſus
Præbere infidis nauibus hoſpitium?
Non ne ſub æquoreo tremuerunt marmore Nymphæ?
Non ne uagi fluctus tunc retulere pedem?
Haud impune tibi tantum ſcelus improbe abibit,
Vexabunt litus flabra ſiniſtra tuum.

Intonet; ex humili ſurge age Muſa ſono.
Quis ſcit an hæc ſummi ueniant in Principis ora,
Perq. ducum uolitet pagina noſtra manus?
Tale decet docto tenuari pectine carmen
Quale PIVS *nutu* QVINTVS, *biante probet.*
Quo procerum hybernis reſonent ſub pellibus aures,
Siue tuæ AVSTRIADE, *ſiue* COLVMNA *tuæ.*
Maius onus certè, maioraq. uiribus auſa,
Sed ſors audenti Calliopeq. fauent.
Nec ſemper ſaxo fiunt delubra uetuſto,
Stant etiam magno parua ſacella Deo.
Et pauper, cui nulla nitent aulæa Sacerdos,
Feſta luce, humili limina fronde tegit.
Sic ego uictrices in prælia ducere turmas,
Ordiar, & forti ſigna ciere tuba.
Vt ſi quis, nimium tantis es laudibus impar,
Increpitet, poſſim dicere pauper eram.
Qualis erit ſed cumq. mihi ſonus, annue Phœbe,
Detq. bonum cœptis dextera carmen auis,
Quis ueteres Argos, Menelæaſq. Mycenas
Quis neſcit portus alta Corinthe tuos?
Hic anguſtus ubi geminum mare diuidit Iſthmus,
Naupacti excepit barbara uela ſinus.
Improbe, tu ne ſinus Dijs es renuentibus, auſus
Præbere infidis nauibus hoſpitium?
Non ne ſub æquoreo tremuerunt marmore Nymphæ?
Non ne uagi fluctus tunc retulere pedem?
Haud impune tibi tantum ſcelus improbe abibit,
Vexabunt litus flabra ſiniſtra tuum.

Ceteq., & diræ paſcent ſub gurgito Phocæ,
Quotq. natant uaſto turpia monſtra ſalo.
Soluiſti tamen hinc pleno ratis impia uelo,
Impia; ſed fætum non erat unda tibi.
Te fuga, te ferrum, te miſſa ex ære manebant
Fulmina, & Auſtriaci uiuida dextra ducis.
Ille quidem remo claſſem propellit in altum,
Et flatu aduerſo prona ſubit maria.
Leucates cupido reſpectat lumine colles;
Et merito: felix hic locus omen habet.
Mox Ithacam, & celſam præteruehitur Cephalenem,
Et quædam anguſti brachia curua freti.
Hic primum pelago frondoſa Zacynthus aperto
Explicuit nautis Pontica lina pijs.
Nec mora; cum toto diffunditur utraq. claſſis
Aequore: remigio cærula pulſa ſonant.
Aequatis acies procedit Barbara uelis,
Et tercentena fertur in arma trabe.
Parte alia obliquum ſe circumflectit in arcum
Diſpar, ſed Chriſto uindice freta ratis.
Læua tenent Veneti, dextrum rapit Auria cornu,
Radebat medium Regia puppis iter.
Impiger Auſtriade, magni germane Philippi,
Quis tibi tunc ſenſus, quantaq. cura fuit?
Euentus belli uarios ſub corde uolutas,
Pluſq. Pio generi quàm tibi ab hoſte times.
Stat conſerre manum, ſtat credita ſigna tueri,
Cælo animam, rapidis fluctibus oſſa uoues.
Has Pater, atque alias iactantem pectora curas

Aeherea lætus Carolus arce uidet.
Nube ſuper fulua. cœli glomerante corona
Sedit, & Ioniјs lumina fixit aquis.
Hinc oculis ardet proprios haurire triumphos,
Et non tum primum gaudia uiſa ſibi.
Namq; animæ indigetes æterni in ueſte tonantis,
Quæ ſunt, quæ fient, quæq. fuere legunt.
Nequa tamen nati turbarent omina mentem,
Conuerſos hoſti iecit in ora notos.
Mox ait. O ſummo nimium dilecte parenti,
O nimium fauſtis edite ſideribus,
Sanguis uince meus Chriſto duce, & auſpice Chriſto;
Candida neuerunt hunc tibi fata diem.
Nec metam poſuere tuis hic Nate, triumphis,
Deuicto tellus eſt peragranda mari.
Nam fore te ſtabili cecinerunt carmine Parcæ,
Vltima cui uinctas porrigat ora manus.
Te Regum æratis oneres qui colla catenis,
Et figas Chriſti toto Oriente crucem.
Tu modo fide Deo: rurſus uictricibus armis
Ioniј releges æquora nota ſalis.
Hinc Rhodon, hinc Seſton, mediaq. Propontidis urbes
Adijcies ſacri finibus Imperij.
Inter quas Selymi diues tibi procidet aula,
Subtrahat extremo ſe licet illa mari.
Iamq. age, pelle moras: ſpatia in ſua quiſq. recedat;
Vertitur hoc uno publica Marte ſalus.
Parce metu; committe acies, tibi Nerea findit,
Præda tua eſt contra quæ mouet arma ratis.

Vix

Vix ea, cum ſubito cœlum ferit ærea moles,
Litoraq. ingenti pulſa fragore tremunt.
Ingeminant ictus, fumo ſubtexitur aer,
Hei mihi quàm crebris ignibus unda micat;
Cæſareus iuuenis primis ſtat ſæuus in armis,
Totus & argento, totus & ære nitet.
Qualis ad Actiacas felix Octauius undas
Reppulit Auſonia barbara ſiſtra tuba.
Obuius haud illi quiſquam ſe impune ferebat,
Aut perit, aut ſupplex corruit ante pedes.
Fulminat in medijs exerto Antonius enſe,
Cernis ut Hectoreum fundit ab ore iubar;
Quem primum, quem poſtremum fortiſsime letho
Deijcis? ah nimio dextra cruore madet.
Quocumq. intorques occulos, huc protenus illuc
Scinditur, & retro turba profana ruit.
Te quoq. permiſtum multa inter millia noſco
Ghiſleri tinctas ſanguine ferre genas.
Quis iuxta puer ille? uiden quàm ſæuit, & inſtat,
Dura nec imbelles atterit haſta manus?
At membris animoq. ingens, Abſcedite, Paulus
Inueniet ferrum denſa per arma uiam.
Sic ait, oppoſitumq. globum proterret in æquor,
Inferat ut Geticæ Romula ſigna rati.
Stat celſa in puppi, prohibetq. Venetus hoſtem,
Plurimus irati martis utrinq. furor.
Heu rapit, infelix te Barbadice ſagitta,
Illa fuit Stygio tincta ſagitta lacu.
Tergemini occumbunt fratres Cornelia proles,

Tuq.

Luq. Maliperi, tuq. Soranze cadis.
Quid referam, ut medios ſe ſe moritura per enſes
Conijciat niueæ pulchra caterua crucis?
Vtq. premat curuo palantes Auria gyro,
Contenta iaculans flammea tela manu?
Qualis & Aſcanius ſtrictum procurrat in agmen
Canum fulgenti conditus ære caput:
Feltrius hinc heros, illinc Farneſius urget:
E heu ſunt illis uulnus, & ictus idem.
At tibi Barbaricæ Pompei dant terga phalanges,
Proſper in hoſtilem dirigit arma globum.
Nec uos tranſierim generis decora alta Sabelli,
Illa ſago domus eſt nobilis, illa toga.
Aſpice uti patrijs exultat Honorius armis,
Telorum & ſpiſſo tutus ab imbre redit.
Vincendi comites nimia dulcedine capti
Ex acie referunt uulnus uterq. ſuum.
Parma ubi nunc Iuli, tua nunc ubi Troile parma?
Strinxerunt uobis ſpicula dira latus.
Ecce mihi Rhodia lucet crux aurea puppi,
Puppis Honorati non tulit illa manus.
Dux milesq. ſimul diſponit Gabrius agmen,
Martis & infeſti cæca pericla ſubit.
Ardet Sfortiades, lucemq. coruſcat ahenam,
Eius ad obtutum Thrax, Numidæq. pauent.
Quid comes Aeneas? quanta ſe cæde cruentat?
Barbara quot ſaltis corpora mergit aquis?
O gemini Heroes, quàm læto curritis ambo
Omne, quàm fauſta bella mouetis aui.

Martia

Martia te tellus, animoſiq. ira Leonis
Sfortia uictrici mittit in arma manu.
Herculei Aeneas iactat ſe Tiberis arce,
Quæq. gerit, patria prò Cruce bella gerit.
Inſtant Gonzagæ, medijſq. in millibus ardent;
Inſtant Euganei, Felſineiq. duces.
Vrſini proceres, hac acer Horatius urget,
Hac ruit heu læuo ſidere, Virginius.
Te flos Heſperæ ſequitur, ter Maxime Ductor
Flectentem externos ſub iuga noſtra duces.
Prædonum ſcelerata manus demititur orco,
Ionio lunæ cornua fracta natant.
Vix grege de tanto, paucos Mars liquit, ahenis
Quorum ſub nodis brachia torta ſonent.
Inter quos Regum pueros aſtare ſuperbos
Et uideo inuitos aſpera uincla pati.
At Calaber, neq. enim ſupereſt ſpes ulla ſalutis,
Et pila ueſanum torquet adacta femur,
Vidit ut exutis aciem inclinare carinis,
Vela dedit turpi protinus ipſe fugæ.
Non ego, non miror te ſi Sultane feſellit,
Prodiderat patrios perfidus ante focos.
Prodiderat Chriſtiq. crucem, Chriſtiq. cruorem,
Quiq. liquor ueteris crimina tergit aui.
Illum debuerant fallaces prodere uenti,
Sentiret fraudes auctor ut ipſe ſuas.
Perfide non poteras auidas te mittere in undas,
Atq. animam medio ponere in Oceano?
Non poteras aliquo ſub noctem impingere Yaxo,

Siue

Siue ea ſubluſtris, ſiue ea cæca fuit?
Tu ſaltem adducto profugum Neptune tridenti
Concuteres, fractam diſiiceresq. ratem:
Nunc tamen, ut celeri liceat fugiſſe biremi,
Illum etiam quondam pœna luenda manet.
At tibi, magne Auſtri, claro Victoria cælo
Lapſa, triumphali ſignat honore comas.
Vincis, io, Chriſtiq. fide, uotisq. Piorum,
Et niueis magni Cæſaris alitibus.
Idalius cælo uix dum rubet Heſperus, & tu
Bis centum ad proras lintea capta trahis.
Extulit os undis Proteus; uictricia Nimphæ
Gaudent appoſita tangere roſtra manu.
Quos plauſus, quas ò circum luſere choreas,
Quos tibi nocte illa concinuere modos?
Perge agedum, quo fata uocant, quo candidus æther:
Militat Oceanus, militat aura tibi.
Vere ineunte nouo pennis, Zephisq. ſecundis,
Lætus ad Iſmarios carbaſa tende ſinus.
Auguror; Augurio lænum Deus intonet: En en
Signa dedit ſupera mitis ab arce Pater.
Nec tibi ſe aduerſis Pelopis domus offeret armis,
Nec circum Aegæo mœnia tacta ſalo.
Excutere inuiſas prægeſtit Græcia Lunas,
Totaq. ſub titulos ſponte uenire tuos.
Si cui uiolanda fides, uiolanda tyranno;
Sed priſcis cur eſt illa uocata fides?
Nulla mora, hibernæ capies Athamantidos arces,
Et Conſtantini protinus imperium.

Ante

Ante tuas Aquilas Reges uoluentur Eoi;
Ante tuas Aquilas ultima Bactra cadent.
Et quæ lenta gelu tellus, & quæ uſta calore,
Suſtolles diæ ſigna colenda Crucis.
Illi longinquæ gentes ut thura uaporent,
Et flexo diſcant oſcula ferre genu.

Eiuſdem.

IN AVGVSTINVM BARBADICVM.

QVAE tibi dux inuicte oculū traiecit arundo,
Pœnè tulit patriæ lumen utrumq. tuæ.
Nā quod, te extincto, ſaluū reſtabat, id illī
Perpetua poterat mergere nocte dolor.
At nitidis allapſa alis Victoria, luctum
Preſſit, & hos roſeo fudit ab ore ſonos.
Tu modo ne læuum lacrymis perde Adria lumen,
Ipſa oculus poſthac nam tibi dexter ero.

IN CLARAM CORNELIAM.

TErgeminos fratres ijſdē occubuiſſe ſub armis
Cara tibi certus nuncius ecce uenit.
Tu quæ mater eras, nec pullū ſumis amicū,
Nec tenera inſanis fletibus ora rigas.
Sed patriæ peperiſſe iuuat, cæliq. beatis
Sedibus.

Sedibus. ò priſcis fœmina maior auis.
Clara prius fueras, cur non clariſſima iam ſis?
Pro patria tanti uix cecidiſſe fuit.

In eandem.

CVR ego te extinctam lacrymer dulciſſima proles?
Nec tibi, nec patriæ debitus hic dolor eſt.
Hæc ſpoliis diro partis ex hoſte triumphat.
Vos teritis ſancto lucida ſigna pede.
Sic tribus amiſſis dixit Cornelia natis.
I nunc, & Matres euehe Sparta tuas.

In eandem.

NON mihi, ſed patriæ peperi te Nate, Lacæna
Dixit: & exanimi uulnera lauit aqua.
Te quoq. idem dixiſſe ferunt Cornelia, cui tres
Pro patria natos abſtulit una dies.
Vtraq. magnanima eſt; ſed in hoc Cornelia maior:
Vnius illa necem pertulit, iſta trium.

FABII VIGILIS.

ARMA ferox Princeps Venetas meditatur ad oras,
Et parat ingenti ſubdere claſſe fretũ.
Quin etiã uictor, domitoq. Oriente ſuperbus
Auſonias iterum deprimit hoſtis opes.
Quis ferat? Auſtriaci generis lux inclyta, tuq.
Et ſpes, & patriæ certa Columna tuæ:
Voſq. adeo, quos mille urbes, quos oppida mille
Inſignes

Inſignes bellis & pietate colunt:
Victrici capite arma manu, gentemq. nefandam
Sternite, & aduerſos Marte iuuante duces.
Omnia fauſta cano: niueis Victoria pennis
Læta ſuper ueſtras labitur ecce rates.
Ite agite, incertumq. alacres properate per æquor:
Sæpe dabunt iſtas fata iterare uias.
Ite agite, & meritas tellus iam Barbara pœnas
Sentiat, & noſtros procidat ante pedes.
Et diſcat quid ſit ſuperum irritare furorem,
Sæuaq. ſupremo bella mouere Deo.
Nec uos quæ nimium fidit male cauta carinis
Terreat, aduerſo gens ruit illa mari.
Quin quæ centenis pontum nunc uerberat alis
Decidet in ueſtras poſt modo capta manus.
Vincent Chriſtigenæ, ſumet gens improba pœnas,
Fracta per Aeolias Luna uehetur aquas.
Iam tandem ſcelerata cohors, cæloq. rebellis
Supponet Chriſti colla ſuperba iugo.
Iamq. nouas experta ſuperni numinis iras
Sentiet æternum non procul eſſe Deum.
O quot ſternet aquis Mauors, quot funere acerbo
Inuiſos ſuperis obruet una dies.
Quot pater Oceanus perfuſus ſanguine tetro
Impia mærenti corpora uoluet aqua.
Parce metu Auſonia: ornatos iam deſine crines
Soluere, & immeritas dilacerare genas.
En tibi qui longo manſuras tempore ſedes
Spondent, & populis Regna beata tuis.

Quin alios inter, magnæ ſpes altera Romæ
Mox repetet patrios uictor ab hoſte lares.
Diſiectasq. acies, ſecumq. immitia tela,
Signaq. de ducibus mille recepta feret.
Gratia magna Deo: prærupta Ceraunia tandem
Buthrotiq. arces ſub ſacra iura cadent.
Euenere: nouos cernis quos Roma triumphos
Largitur reduci poſt noua bella duci.
Aſpicis, ut celebri inuehitur comitante caterua
Excelſo Marcus conſpiciendus equo.
Quem circum agglomerant cari longo ordine ciues,
Et præeunt capti turba inimica duces.
Lætitiæ dant ſigna tubæ, lituiq. minaces,
Terribiliq. tonant fulmina ubiq. ſono.
Miles, io, magna præcluſus caſſide frontem
Per fora, perq. uias uoce triumphe canit.
Aſpicis aurato circum uelatus amictu
Quam bene ſpumanti fræna relaxet equo.
Vt niueæ aſſurgunt criſtæ, dextraq. tumentem
Inuicta clypeum Gorgonis ore gerat?
Heus quo nunc ò Turca minæ ceſſere dolique?
Quo tandem euaſit ſpiritus ille tuus?
Qui tibi fingebas faſtu tumefactus inani
Imperia, en longè gloria fortis abeſt.
Scilicet incepti parta hęc ſunt præmia belli,
Heu pudor, heu ueteris gloria militiæ.
At tu cura Deum, claris aſſuete triumphis
Italiæ qui ſol, qui pater unus ades.
Increpuere tubæ, mediæ te conſere pugnæ

Dum

Dum tibi uictori diua ſuperba fauet.
En maiora manent: cælo proh Iuppiter alto
Fataq. uenturi nuntia quanta parant?
Iam uideo pictas Indo qui litore conchas
Colligit, & rubri demetit arua croci.
Quos uagus Euphrates, quos deuius ambit Araxes,
Et quos admotis Phœbus adurit equis.
Et quos Mæandrus toties ludente recurſu
Turbidus intortis perfluit amnis aquis.
Et ſi qua extremas orbis gens accolit oras
Proijcere ad noſtros arma ſuperba pedes.
Magne Pater ſummo cælum qui numine torques,
Qui terræ tractus et maria alta regis.
Ante meos obitus illam Tithonia coniux
Purpureis lucem ſplendida portet equis.
Qua uideam rurſus deuicto ex hoste Columnam
Sacrare ante aras parta trophæa tuas.
Qua rurſus ſpolijs plenos hoſtilibus axes,
Et uideam ferro brachia uincta ducum.
O quibus aggrediar numeris tunc facta referre
Marce tua, & grandi bella ſonare tuba.
Tunc ego Caſtalios auſim perrumpere fontes,
Et diro Aonium cingere Marte nemus.
Annue Magne pater (ſi non indebita poſco.)
Neu rapiant fuſas irrita flabra preces.

In Occhialinum Fugientem.

DIſpeream niſi qui hæc poſuit tibi nomina primus
Ille uſus magico eſt ante miniſterio.
Nam ſæuos inter ſtrepitus ſonituſq. tubarũ
Dũ Mauors dubias miſcet utrinq. manus,
Monſtrauere uiam tibi tutam ocularia, poſſes
Impia præcipiti qua dare terga fugæ.

TRYPHONIS BENTII.

ECce tuã exornat celebris Victoria claſſem,
Turcarum fractas qua bene cernis opes.
Arma ualent, claſſiſq. potẽs armiſq. uiriſq.:
Sed Pie Quinte tuæ plus ualuere preces.
Si precibus Solem retinet ſanctiſſimus heros,
Cum ſe cæruleis mergere uellet aquis:
Et tamen unus erat Ioſue, neque rector Olympi
Celſa illi in terris, ut tibi, ſceptra dedit:
Et finem tanti dabitur tibi cernere belli,
Qui ſolus toto es maximus orbe pater.

FABII BENEVOLENTII.

AEquora cõſpiciẽs Scythico tepefacta cruore,
Cunctaq. barbaricis fœda cadaueribus,
Diſiectaſq. ſuper pelago fluitare carinas,
Fundentes largas uaſti Orientis opes:
Iam non Aeſonides, iam non Tirynthius heros,
Rector dixit aquæ, litora noſtra legit.
Maior utroq. tuum percurrit nauita pontum,
Mox ſacro Proteus carmine concinuit.
Hic olim Solymis uictricia ſigna reponet,
Pellet & Odryſium ſedibus inde ducem.
Nunc iuuenem Auſtriacum uiridi cinxiſſe corona
Nos decet, & uaſti tradere iura maris:
Inquit Neptunus; pelagi tunc numina nomen
Auſtriacum læto concrepuere ſono.

OLIVERII MAMPHREDI I.

VEſtro barbaricas uiciſtis robore gentes,
Viribus & Scythicas diminuiſtis opes.
Vos merito ſuperis uirtus heroica miſcet,
Vos celebrat quicquid cingitur Oceano.
Diſcite quàm ſtabilis procerum concordia poſſit,

Diſcite quàm mundum fœdus iniſſe iuuet.
Non illi heroes nunc eſtis, qui ante fuiſtis?
Non illa eſt uirtus? non Deus ille fauet?
Sed cur Aemonias acies proſternere primum
Non licuit? res hæc non ratione caret.
Veſtras diſtraxit mentes diuiſa uoluntas,
Vnanimes facitis maxima quæq. modo.
Hos nolite igitur ſanctos diſſoluere nexus,
Si ſpolia ampla mouent pectora ueſtra duces.
Quantum ſufficiat tumulo terræ, hoſtis habebit
Vix tantum, infeſtis pulſus ab æquoribus.

Incerti Ad Ioannem Avstr.

O Iuuenis, qui uictrici nunc claſſe ſuperbus
Sanguine das parto Martia iura mari;
Et facis, ut Tibris iam tutior influat æquor,
Et magis auriferi ſplendeat unda Tagi:
Perge precor, belloq. feri pete regna Tyranni;
Terga repente dabit barbara turba fugæ.
Quis contra pugnantem Aquilam, ualidumq. Leonē?
Quis contra inuictam iam ferat arma Crucem?

IO.

IO. FRANCISCI FERRARII.

CAESARIS inuicti proles inuicta, parente
Ingens ò claro clarior Auſtriade:
Quas Europa tibi grates perſoluere dignas
Nunc poterit? laudes quiſuè referre tuas?
Illius ipſe etenim ſortem miſeratus iniquam,
Impiger extrema curris ab Heſperia.
Sanctaq. magnanimi lætus mandata Philippi
Exequeris, fratris maxima cura tui.
Sic pius ipſe imples communia uota piorum,
Communiq. ſalus eſt tua poſtpoſita.
Litora turbantes Turcarum noſtra carinas
Aggrederis, uiſas diſijcis atq. ferox.
Innumeri ualida currebant claſſe per æquor
Hadriacum noſtris uſq. graues ſpolys.
Ac ueluti inſequitur lupus inſatiabilis agnos,
Sic egit noſtros effera turba duces.
Audentes fortuna iuuat; temeraria uirtus
Sæpius audentum perdere regna ſolet.
Noſtra animo quamuis præſtaret Martia pubes,
Inferior numero ceſſerat illa tamen.
Et ferro, & flamma, nulla pietate, ſuperbas
Expugnant urbes, templaq. ſacra ruunt.
Crudeles latos uaſtant cultoribus agros,
Proh dolor, atq. Italæ diripiuntur opes.

Iniiciunt his uincla feri, illos enſe trucidant,
Huic cutis exuitur, interit ille ſame.
Infigunt ſudibus (dictu miſerabile) uiuos,
Atque inhumata rapax corpora mandit auis.
Quid genus infandum, Stygijs ortumq. tenebris
Non dextra immani, non animoq. mouet?
Omne nefas mouit, tumidi Gygis inſtar, & ipſum
Nititur è cælo deripuiſſe Deum.
Sunt auſi Venetos inuadere pace ſequeſtra,
Et modò pollicitam deſeruiſſe fidem:
Denteq. ſecurum rabido uexare Leonem,
Impiaq. audaci bella mouere manu.
Pellitur at ui uis: Chriſti nam Paſtor in orbe
Qui retinet primas nomine, req. Pius;
Et Venetum, & proprias uires collegit in unum,
Germani aſſocians arma tremenda tui.
Unanimeſq. Ducem te delegere ſupremum,
Et meritò eſt rerum credita ſumma tibi.
Te duce pugnatum eſt, duce te uictoria parta eſt:
Mox orbis totus te duce liber erit.
Vtq. tua uirtute ſalum tibi ſeruit, eadem
Mox ſubiges terras, obuia quæq. metens.
Quæ tu cumq. petes, aderit Victoria tecum
Læta: fauet cœptis en Deus ipſe tuis.
Ipſe Deus pro te eſt, pro te eſt uictoria; forti
Prælia nam pro te iuſq. piumq. gerunt.
Quare age, ne ceſſa, ſucceſſibus utere tantis;
Poſt primam facilis palma ſecunda uenit.
Macte animo, ſequere, & cœptis ingentibus inſta,
Victori

Victori dum fors ridet amica tibi.
Non ſatis eſt uiciſſe ſemel: uelut Hydra reſurgent,
Si rurſum monſtris arma nouare datur.
Rurſum animi uictis addentur; uiribus illi
Iamiam inſtauratis litora noſtra petent.
Ergo recens feruet dum ſtrages, acrior urge,
Dum ſua quemq. angit cura, quatitq. timor,
Relliquias ferro ultrici, & fatalibus armis,
Herculis in morem, perſequere, ure, ſeca.
Vtq. modò, hoſtili lunis è claſſe refixis,
Illic eſt ualida Crux ſacra fixa manu:
Sic iterum hanc pones, ubi crimina noſtra piantem
Illam olim perhibent ſuſtinuiſſe Deum.

Eiuſdem.

PROLIS *Auguſtæ memorare laudes*
Muſa quid tentas gracilis ſtrepenti
Fiſtula? & uerſu tenuas pedeſtris
Maxima paruo?
Deſine; haud uatem decet hoc iocoſum:
Virium non eſt onus hoc tuarum.
Inclyta Heroum celebrantur ære
Facta ſonoro.
Ecquis inuicti Auſtriadæ ſuperbum
Nomen extollat ſatis? ille quando
Carolum patrem pietate, & armis
Impiger anteit?
Vix adhuc ſignat tenera ora pubes
Florida, & nullo penitus negante,

Audijt

Audijt magnæ pater, atq. tutor
Vrbis, & Orbis.
Vincula Europæ ſiquidem minantes
Dum feri Turcæ populantur æquor,
Claſſe confiſi innumera, oppida, agros,
Regnaq. uaſtant.
Noſtra dum, quamuis animoſa, pugnam
Viribus diſpar metuit iuuentus,
Nec ſatis fidens trepidat cruentum
Tendere in hoſtem.
Ille Paſtoris pia iuſſa ſummi,
Regis & fratris properè capeſſens,
Currit extrema Heſperia, uolatq.
Ocyor Euro.
Barbaras pinus, ſuperis ſecundis,
Ignibus ferro citus occupatq.,
Et ſibi in ueros redigit timores
Fata minatos.
Diſijcit proras, minuitq. ſæuum,
Hoſte uix uiſo, intrepidus furorem,
Victor ut mollem accipiter columbam,
Remige adurgens.
Mergit hos, illos capit, hos trucidat,
Soſpite una uix fugiente naui,
Et ſibi æternos peperit triumpho
Magnus honores.

Eiuſdem

Eiuſdem.

AD M. ANTONIVM COLVMNAM.

ET Latio, atq. Italis, & toto fortis ab orbe
Antoni eſt ingens gratia habenda tibi.
Otia agunt omnes, una tot cæde peremptis
Hoſtibus, & capta claſſe minante Ioui.
Tanti operis magnus ſiquidem pars magna fuiſti;
Iure tuum hinc omnes nomen ad aſtra ferunt.
Immemor accepti ne dicar, promeritiq.
Sfortiadæ oblitus, qui tua cura fuit:
Felix & per quem ſublimi eſt iuncta Columnæ
Vrſa, nouum ſidus, fama pudicitiæ:
Illa facit, quæ te perpulchra prole parentem,
Matris perſimili, perſimiliq. patris?
Quod poſſum, dono ipſe libens, magno ore locutus
Virgilij, os quoniam grandia grande decet.
Sunt tua magniloqui numeris celebranda Maronis
Facta: triumphatis hoſtibus altus ades.

POEMATA IN M. ANTONIVM COLVMNAE.

In M. Antonij Columnæ Triumphum. Centum carmina : ad Vrbem.

Semper honoratus ueniet pulcherrima rerũ
Hic tibi iure dies, poſthac meliusq. nitebũt
Soles Roma tibi magno redeunte Columna.
Ecce tuus ſanguis, rerum tutela tuarum,
Cui genus à proauis clarum, clarumq. paternæ
Eſt laudis nomen, decorat quem regia mater:
Multus gentis honos, uerum ſua plurima uirtus
Quem meritò celebri fama ſuper æthera tollit.
En decus Italiæ ſpolijs Orientis onuſtum
Aduenit, egregia parto ſibi laude triumpho.
En trahit, Iſmarios, genus inſuperabile bello,
Spiculaq. clypeoſq., ereptaq. roſtra carinis:
En ſigna, en gladios, abiurataſq. rapinas:
En tibi Chriſticolum, Chriſti en tibi nominis ultor
Maximus, en tua ſpes, tua gloria, maxima rerũ:
Quos modo Roma uides manibus poſt terga reuinctis
Mæſtos ire, tui ſunt inclyta nominis hoſtes,
Qui captiuorum populantur tempora raptis
Auribus, & truncant inhoneſto uulnere nares:
Gens inimica Deo populi, quos uſq. recentes
Conuectare iuuat prædas, & uiuere rapto:

Qui

Qui modò tot dedeꝛunt crudelia funera noſtris
Militibus, qui tot uiduarunt ciuibus Vrbes:
Qui miſeris latos uaſtant cultoribus agros:
Qui ſcelus omne, dolos omnes qui turpiter audẽt:
Qui manibus tumidi magnum reſcindere cælum
Aggreſſi, ſuperiſq. Deum detrudere regnis.
I nunc, bella ferox polluta pace retracta:
Promiſſam nunc rumpe fidem, Venetoſq. laceſſe:
Impia fœdifragi nunc iuſſa capeſſe Tyranni.
Maiores dabitis pœnas: Acheronta ſub imum
Ibitis inferiæ Diti: mox truncus arena
Selimi, & longis ſingultibus ilia tendet.
Et modò honoratum paſcet ſine nomina corpus
Effera auis: moremq. malum, rituſq. profanos
Chriſticolum eijciet uirtus, natoſq., patreſq.
Cum genere extinguet Turcarum noſtra iuuentus,
Sacra niſi in melius referant, Chriſtumq. ſalutent.
Maxima res effecta quidem, timor omnis abeſto:
Omnia tuta uides: ingenti Roma Columnæ
Ne trepides adnixa: Duce hoc nam ſoſpite nũquam
Res Romana cadet: ſolido ex adamãte Columna eſt.
Nil timet illa maris, terræ, cæliq. periclis
Tot defuncta: malis haud cedet neſcia uinci.
Hic uir hic eſt, cuius rurſum uirtutibus aucta
Imperium terris, animos æquabis Olympo:
Cuius & auſpicijs Saturnia regna redibunt.
Quàm tali auxilio, quàm defenſoribus iſtis
Tẽpus eget: quàm magna Pij prudentia Quinti eſt.
Seu pacem, ſeu bella gerat, huic maxima rerum,

Verborumq.

Verborumq. fides: amat hunc & pectore toto
Maximus: huic ope, huic ſancito fœdere, eundem
Magnanimo Auſtriadæ, Venetiſq. potētibus addit
Ductoremq. ſuæ claſſis iubet eſſe ſupremum:
Adiuuat & uotis: tot namq. euadere caſus
Haud potis ille foret, ni mox Pia cura reſiſtat,
Perpetuis ſupplex onerans altaria donis.
Sic propria uirtute Pij multoq. rogatu,
Atq. Dei eſt Heros fatis defenſus amicis.
En læti reditus, expectatiq. triumphi:
Ecce uenit ſummo ſundens de uertice lumen.
Accipe nunc eadem magnum, quem magna tuliſti,
Semideum, & læto lætum clamore ſaluta.
Iam reducem gratare, uenit: clamore reſultent
Alma tui colles? meritos illius honores
Te ſtatur tellus, croceis quæ floribus halat
Læta ſub extremum brumæ intractabilis imbrem;
Comprobat & cælo meritos Deus ipſe ſereno.
Aeneadæ rerum domini, diuumq. propago
Iam ſeruatorem meritis extollite ueſtrum
Laudibus: hic ueſtram properando reſtituit rem,
Pro patria lætum, & pro relligione paciſci
Nil metuit: rurſum caput obiectare periclis
Nil trepidat: Chriſti pro libertate tuenda
Prodigus ipſam animam ſuperis deuouerat olim.
En uenit: eia alacres manibus date lilia plenis.
Quantum habet hic patrij Martis? uirtute, nec auſis
Haud ulli inferior ueterum: ſub tartara miſit
Mille die, uictor diſiecit mille carinas.

Et

Et fortes humeros, & fortia pectora bello
Ardenteſq. notate oculos: qui ſpiritus illi,
Qui uultus, quæ uox diuini ſigna decoris?
Ingredere auſpicijs Vrbem alte Columna ſecundis:
Aureas ipſe tuæ referas ſæcla aurea genti.
Magne ueni: haud æquum meritis iã ſume triũphũ,
Sed qualem potuere tui Dux inclyte ciues.
Afforet Auſtriades utinam, qui laude coronam
Promeruit primam, Caroli fortiſſima proles.
Ille animi præſtans: iuuenili in corde uirilem
Ille gerit curam: ingens fama, ingentior armis.
Afforet & Venetus nulli Dux Marte ſecundus.
Quas nunc te terras, & quanta per æquora uectum
Accipimus? quantis iactatum magne periclis.
Ingredere ò patriam æterno cumulatus honore:
Iam grates ſuperis reddas: fige oſcula ſummi
Pontificis pedibus ſanctis: amplectere dulces
Iam natos, ſociamq. thori, optatamq. parentem.
Felix, dum ſtabit Capitoli immobile ſaxum,
Dum cæli claueſq. Pater Romanus habebit,
Semper honos, nomenq. tuũ, laudeſq. manebunt.

BALDVINI FELICIS.
IN M. ANTONIVM COLVMNAM.

INtrepidus poſt mille maris diſcrimina Marcus
Iuſſit in aduerſos pandere uela Notos.

Atque

Atq. ait inuictus; quem non uincere procellæ,
Vincat amor Chriſti, uincat amor patriæ.
Hic mihi diuinas humano in corpore uires,
Hic dabit hoſtiles uincere poſſe manus.
O quem te referam Dux inuictiſſime? uincis,
Exemploq. doces uincere poſſe tuo.

Eiuſdem.

IN M. ANTONII COLVMNÆ TRIVMPHVM.

VIctor adeſt, lætata nouum duc Roma trium-
Et tua uictrici limina fronde tege. (phum,
Romanæ uoluit Pius hunc caput ire phalan-
Iuit, & effuſo protinus hoſte redit. (gis;
Pro reditu niueas inter pater Alme Tiaras
Redde iterum Sanctis debita thura focis.
Thura preceſq. Deum placant: hæc collibus uuas
Addunt, & magnis meſſibus arua replent.
Hæc bella auertunt, paciſq. optata reducunt
Otia: habent notam feruida uota fidem.
Seu te læta tenent turbata per æquora uenti,
Funde preces, fuſa mox prece tutus eris.
Seu retinent duræ te uinctum colla catenæ,
Sæpe inopinanti uincula dura cadent.
Seu ferus innumero confiſus milite noſtrum
Hoſtis in extiuum per freta ſumma ruit,
Vincetur: Libyæ ratis eſt nam teſtis, & atro
Roſtra Parætonij fœda cruore uiri.

Hic

Hic ſpolia expectans humeris direpta Columnæ
Barbarus ipſe ſuo ſanguine tincta dedit.
Te uerò Antoni ſeruauit maximus ille,
Virginis ille idem filius atque parens.
Quem tu pendentem Crucis alto è robore ſignum
Geſſiſti, præſens non tibi ferret opem?
Qui te iactatum toties per cærula ponti
Iuuit, & è medijs fluctibus eripuit;
Qui te olim ad portus, inimicaq. regna iacentem
Suſtulit, & feſſas impulit inde rates;
Hic etiam noſtra tunc lætas cæde ſagittas
Contudit, inque fugam barbara terga dedit.
Hinc tua frondentes circundant tempora lauri,
Hinc tua cum priſcis gloria certat auis.
Romula cæruleo pubes procedit amictu,
Et quibus eſt rerum tradita cura, patres.
Procedunt latè fulgentes ære cateruæ:
Et tibi tota hodie quisquis in Vrbe uacat.
Compta tibi Romana nurus te ſpectat ab alto,
Et belli natum præmia clara docet.
Vos ite æratis liuentes brachia nodis,
Atque armillati, barbara turba, duces.
Vos quoq. rapta uię ſacræ ſola uerrite ſigna,
Nec ſit ueſtra ducum conditione minor.
Quàm bene captiui domini ſua ſigna ſequuntur?
Quàm bene dant mæſtum tympana pulſa ſonum?
Aſt ego quà magnus Farneſius inclyta Ieſu
De Tiburtino marmore templa dicat,
Hic ego ſpectabo, populo clamante triumphum,

Siſtentem ad plauſus prætereuntis equum.
Roma faue, uotiua ſacris da munera templis,
Et longam reduci læta precare diem.

LAVRENTII BELII.

De utroque M. Antonio, pugnante apud Actiū.

NOmen idē, patriūq. ſolum, certaminis idem
Eſt locus: eſt claſſis par, animiq. uigor.
Exitus at non par: Hic uincit: uincitur ille:
Cur? hic opem ſenſit cælitus: ille minus.
Hunc etenim pietas, illum ſcelus impulit: atque
Hunc tu commendas, o Pie ſumme, Deo.

SEBASTIANI SANLEONINI.

HIc duo pugnarunt Antoni, Roma duobus
Mater erat: uirtus parq. duobus erat.
Diſpare ſed fato: hic uictrici i ſęcula dextra,
Hic morte Actiacas nobilitauit aquas.
Cur mage Columnæ fauit Victoria? uictus
In patriam, uictor pro patria arma tulit:

POM-

POMPEII VGONII.
AD M. ANTONIVM
COLVMNAM OVANTEM
Poſt Naupacteam Victoriam.

ANTONI *ueterum Stirps bona Principum,*
O & Romulidum deliciæ, & decus,
Salue reddite caris
Lux optata Quiritibus.
An te ſollicitus militiæ labor
Tam longo ſpatio detinuit procul
A flauo Tiberino, &
Sublimi Capitolio?
Cælo quid patrio dulcius? Ilio
Conuerſo in cinerem, Dulichium ut ſinum
Perluſtraret Vlyſſes,
Nataliſq. Ithacæ ſolum,
Bis denas hyemes Oceanum uago
Verſit remigio, nec rabiem maris,
Nec luctantem Aquilonem,
Nec ſæuos ſcopulos timens.
At te tot domitis ſub iuga Barbaris,
Stipatum exuuijs ad latus hoſticis
Felix aura reportat
Dilectæ in patriæ ſinum.
Cernis lætitiæ munera publicæ,

Ipſimet ſua ciues
Mirantes noua gaudia?
Virtuti comes it Gloria: tollite
Plauſus; ſic patriam ſic decet ingredi,
Cuius dextera feſſis
Tantam rebus opem tulit.

Eiuſdem.

DE M. ANTONII COLVMNÆ
IN VRBEM INGRESSV,
poſt Turcas nauali prœlio uictos.

IAM mihi præteritos uideor reuolutus ad an
nos.
Et uitã antiquis ducere conſulibus.
Omnia tũc Latias metuebant Regna ſecures
Litore ab Eoo litus ad Heſperium.
Aureaq. immoto ſtabant Capitolia ſaxo;
O quæ tunc ſpecies, qui decor urbis erat?
Quippe nouis ſemper gaudebat Roma triumphis,
Intexens ducibus laurea ſerta ſuis.
Captiuoſq. trahi Reges ſub uincla uidebat
Per medium populi ſuſpicientis iter.
Cernere erat raptis conſertas arcubus haſtas,
Et nitidis uectas curribus exuuias.
Qualia nunc multo uidit poſt tempore Roma,
Mox etiam in priſcum reſtituenda decus.
Ludicra non ficti ſunt hæc ſimulacra triumphi,

Nec uolucris caſus gaudia tanta facit.
Nec retro ætherium Maiæ pater impulit axem,
Vt quæ olim fuerant, nunc quoque ſigna micent.
Gratia Marce tibi, quòd ſe nunc aurea compſit,
Quodq. ipſi facta eſt æmula Roma ſibi:
Tela, manuſq. tuas ſiluis redimita Zacynthus
Senſit, & Ionij cærula turba freti.
Gurgite ſub ſalſo piſces fugere: repente
Implicitos Nimphæ diſſoluere choros.
At ſcelerata acies ferro demiſſa ſub orcum
Purpureas tetro ſanguine fecit aquas.
Te modo defunctum naualis munere belli
Victorem reuehit ſplendida palma domum.
Aſpice tam uaria ciues in ueſte decoros,
Et celſa in plauſus tecta referta tuos.
Romanaſq. nurus ſtratis inhiare feneſtris,
Et plenas pompa prætereunte uias.
Senten', quo ſtrepitu reſonent turrita Deorum
Culmina, & excuſſæ ſulfuris igne pilæ?
Et bijuges rhedas ultro citroq. uolantes,
Hæreat utq. oculis pendula turba tuis?
Viue diu, patriamq. nouis inuiſe triumphis
Gloria Tarpeij magne COLVMNA *iugi.*
Hoc mihi ſit curæ noctesq. dieſq. precari,
Seu uia te terræ, ſeu uaga ducet aqua.

IOSEPHI LEONINI.
IN M. ANTONIVM COLVMN.

MArcellus, Pyrrhus, Fabius, certamine, caſtris
Vicerũtq. mora Marte fauẽte duces.
Sed tu caſtra locas, cunctaris, uiribus hoſtem
Frangis: ſolus habes, quod fuit ante triũ.

Iam mare, iam tellus ſe ſuppoſuere Columnæ:
Reſtat inacceſſi ſcandere tecta poli.
Rex ergo cœli ſtellantia mœnia mundi
Claude; arcem ſerua Iuppiter æthercam.

Phœbus ut obſcurat radianti ſidere currus,
Germanamq. uetat lumen habere ſuam:
Robore ſic Turcas conflictu oppreſſit in acri:
Vnde duces inter ſola Columna micat.

LVDOVICI CAVANI PARMENSIS
IN DEVM.

TV Pater omnipotẽs noſtros miſerate labores
Biſtonij aduerſus bella neſanda Ducis,
Mente inſpirata iunxiſti fœdere Ternos,
Vt Claſſem Iſmariam diſiiciant Pelago,

Concordes

Concordes ualeant Hoſtile retundere ferrum,
Cæſa ſuper Ponto Gens inimica natet.
Et reſtinguatur penitus Rhodopeius ardor,
Nec ſit, qui contra iam ferat arma Crucem.
O ſacra Vincla DEI, *quibus expugnare ſuperbos*
Tu PIE, *uos Veneti, tuq. Philippe potes.*

IN FOEDVS.

CVr hinc cernũtur Veneti? cur inde Philippus
In medioq. Pius, ſub pedibuſq. Draco?
Vt Pius extremos ſancita lege, Draconis
Perpetuum medius iungat in excidium

IN FOEDVS.

AEquora cum uomito ſerpẽs, terraſq. ueneno
Inficeret, pepulit maxima damna Pius.
Sic permulſit enim ſumma pietate Leonem,
Sic Aquilam, ut certũ Fœdus inire iuuet.
In dirum unanimes conſpirauere Draconem,
Vicerunt, uictus ſub pedibuſq. iacet

IN FOEDVS.

IVnxit quadrupedū Pietas cū Rege uolucrū
Reginam, ut fortes horridā bella gerant.
Quos contra? dẽteſq. canū, rapidoſq. ferarū
Vngues cur? rabies ut cadat, ut feritas.
Vt uincant, Paſtor quæ præbuit arma? Columnam,
Quæ nec dente fodi, nec queat ungue peti.

IN PIVM V.

N*VLLA Bubaſidis uirtute ſuperbia gentis*
Frenari potuit ſecla tot ante furens.
Tunc poſſe arceri ternæ cecinere ſorores,
Cum Pietas Quintū ſumpſerit ampla gradum.
Tempora iam tandem uenerunt illa beata,
QVINTVS nunc regnat, nunc PATER *ille* PIVS.

IN PIVM, ET IOANNEM.

NVNC ſuperata ſuos lugebit Thracia caſus,
Cum DEVS Aethereo miſerit Axe duos.
Quos? unũ, qui alijs Ducibus DVX robore præſtet,
Vnum, alijs Patribus qui Probitate PATER.
Nullus Ioanne eſt in toto fortior Orbe,
In toto nullus Sanctior orbe PIO.
Ambo igitur cælo delapſi egere Triumphum
Integritate ſua hic, uiribus ille ſuis.

DE PIO, ET TVRCIS.

DVCVNT horrendum inter ſe cõtraria Bellũ;
Conſerit Impietas cum PIETATE manum.
Spes hinc uincẽdi magna eſt, metus inde cadendi;
Hæc ductum ſequitur Dæmonis, illa DEI.
Vtram igitur partem maneat Victoria, conſtat;
Conſiſtet PIETAS, corruet Impietas.

IN PIVM.

SAncte Pater, ſenſim quo ferrea pellitur ętas,
Falciferi ueniunt Regna beata ſenis.
Sæcla breui à rigidis deſueſcent mitia bellis
Cedent priſca nouis tempora temporibus.
Fallaces ualeant ſortes, & uiſcera; nobis
Venturi dantur pignora certa boni.
Non ſunt per longam ſeriem conſpecta dierum,
Te Duce quæ tribuit conſpicienda DEVS.
Gallica nam ſtrages, quæ tot detruſit ad Orcum,
Terram purgauit peſte necante Animas.
Cæruleo diſiecta mari eſt Byzantia claſſis,
Vnde per Aegæum ſalua Carina fluet.
Vt dignus primis reſpondeat exitus actis,
Vt mediæ creſcat nobilitatis opus:
Factorum quis finis erit? PASTORIS ut unum
Vnius paſcat ſedula cura gregem.

IN CAROLVM.

VENERAT in mentẽ tibi ne unquam Carole,
Te dempto ſterni poſſe Boriſteniũ? (Regem
Non certe, niſi me ſuperaret uiribus alter,

Vota ſecundaret ſors magis alterius
Ecce Triumphali redimitus tempora LAVRO
Incedit uictor cara tibi ſoboles.
Maiores fortuna tuas dulciſſime fili
Vires adiuuit, non ita amica Patri.
Tu es præſentis, eris uenturi GLORIA *Sæcli,*
Tamq. Inſigne meum glorior eſſe Genus.

IN REGEM PHILIPPVM.

O REX *ante alios Reges felicior omnes,*
Cũi dedit omnipotẽs maxima quæq. Pater,
Sanguine magnanimi tu cretus Cæſaris alto
Sceptra aliȷs Sceptris inuidioſa tenes,
Litoris Heſperiȷ columen, cuſtoſtia Regni
Frater adeſt, cuius nomen ubiq. ſonat.
Teq. tibi ſimili fecit Regina Parentem
Prole diu optata poſcere plura licet?
Tanta Philippe tibi ſuperos tribuiſſe memento,
Vt bello credas, & tueare FIDEM.
Iſtum perpetuò conſerues fœdus amoris,
Afris, Mygdoniȷs, Thracibus excidium.

IN

IN IOANNEM AVSTRIVM.

Themiſtocleos taceat Salamina Triumphos,
Triſtia Perſarum fata, Duciſq. fugam.
Auguſti ſileat famam Epirotica Tellus,
Qui ualida fregit Claſſe Orientis opes.
Omnis honor Naupacteo concedat honori,
Hiſpanum quæuis prædicet ora uirum.

IN IO.

SAEPE tuas uoluit Princeps altiſſime laudes
Fortia facta meis uerſibus inſerere.
Verum non uideo tantum mihi roboris eſſe,
Vt tua perpetuò fama uigere queat.
Copia ſcriptorum non deerit, pectora uatum
Per quos tu uiuas liber ab interitu.
Annales fient, diuina poemata creſcent,
Inſcripto facient nomine ſigna fidem.
Mœnia ſic partum ſub Naupactea Triumphum,
Strenue Dux poterit nulla abolere dies.

IN I O.

MIlitis effreni uicit Mæotica bella,
Dux tua Centimano dextra timenda Gyge.

Mi

Mirantur te Dux Tellus, cælum æquor, Auernus,
Fama uolet pernix, reſtat, ad Antipodas.

IN IO.

CAeſar ſi toties bellans Terraq., Mariq.
Deuicto rediit Victor ab hoſte Domum,
Mantinas acies, nunc Cæſaris inclita Proles
Contudit, & ſalſa ſanguine tinxit aquas.
Mente tenens memori celeberrima facta Parentis
Iram compreſſit, uim, rabiemq. Canum.
Quam uirtute ſua genitor cohibere nequiuit,
Quo, ſola hac pugna non erit inferior.
Hoſtili tanta de Claſſe ſuperfuit unus,
Nec poterit celeris roſtra cauere ratis.
Regia uincat auis, ſic uſq. Alcæa triumphet
CRVX *pia, clamet Io, firma* COLVMNA *regàt*

IN IO.

SIc erat in fatis, nullius robore uinci
Poſſe Ducis populos, quos lauat Hebrus aquis,
Regalis niſi clara Domus Inſignia pandat,
Alto prognatus ſanguine Cæſareo
Et uirtute Duces niſi Bellax anteat omnes
Tum uectus naui, tum pede uincat equo.
Splendor Iberiacæ gentis, ſit Gloria Mundi,
Et ſit ad hoc Celſi miſſus ab arce Poli
Filius hic fortis CAROLI *eſt, fraterq. Philippi*
Laus Procerum, Heſperiæ, lumen, & orbis honos

IN IO.

IN IO.

NVNC iactet CAROLVS Natum, fratrēq. Philippus,
Quē ſemper celebrē poſt era ſæcla canēt.
Iamq. ſuum fælix Hiſpania laudet Alumnū,
Geſtiat expandens Auſtria ſigna Domus.
Acer Pangæas peſſundedit ille Triremes,
Atq. amplas uictor retulit exuuias,
Abderitaniſq. arcebat finibus Hoſtes,
Latius & noſtrum proferet Imperium.
Et prauam extinguet ſectam fortiſſimus Heros,
Deijciet Stygij turpia ſpectra uiri:
Extolletq. CRVCIS totum uexilla per orbem,
Et CHRISTI Nomen qualibet ora canent:
Alter erit Carolus fama ſuper æthera notus,
Quin cedet nato Gloria magna Patris.

IN IO.

NON tantum piguit CAROLVM concedere fatis
Edomitis nondum gentibus Aemonijs:
Quantum ſtellifero nūc gaudet in axe Triūphū
Demirans fili, magnaq. facta ſui
Sic ait. ò fælix nate ac fortiſſime, lætor
Nomina nominibus cedere noſtra tuis.

IN IO.

SI creſcente æuo geſtarum GLORIA rerum
Creſcet, erit tandem nil quod in orbe geras.
Aut Deus Immenſi fines tunc proferat orbis,

Aut

Aut poſitis armis ſit capienda Quies.

IN IO.

INTER *tot titulos quos dat tibi bellica uirtus*
Et factis tribuit Bætica terra tuis,
Quod tibi concedit pelagus, ne deſpice nomen,
Tu Dux Neptuni, qui freta uaſta regit.
Vincere perge igitur, Neptunia Regna tueri:
Venti aſpirabunt, Rex Maris, atq. Mare.

IN IO.

IMPIGER *euertens patrijs uirtutibus hoſtes*
Leucadias Cilici ſanguine tinxit aquas.
Cuius læua tenet fortunam, dextera robur,
Qui Decus eſt Regni, qui Decus IMPERII.

IN IO.

COLCHORVM *uicit Regnator ſæpe, ſemelq.*
Deuictus, nullo tempore uictor erit.
Qui ſatis Armatum uicit, nũ uincet Inermem?
Induet arma, dabit carbaſa uela notis.
Qui paucis numerum, numero num uincere paucos
Inuicti ſoboles Dux poterit CAROLI?
Ducat Phaſiacam gentem curum ante triumphans,
Et ROMAM *Lauro conſpiciendus eat.*

IN IO.

SI *bellandi uſu ſic eſt tua clara Iuuentus:*
Vt CAROLI *obſcures facta notanda Patris;*

Qui

Qui ſolo hoſtiles terrebat nomine Turmas,
Cui nullum ſæclis fata dedere parem.
Mars alter fies uirtutibus auctus, & annis,
Feſſus Mars MARTI Bella cruenta ſinet.

IN IO.

D*VM Samon Ioniis pulſabit fluctibus æquor,*
Dum Patræ ſtabunt, litus & Inachium;
Qui capta fregit Byzanti Claſſe Tyrannum;
Ibit laudatus crebra per ora uirum.

IN IO.

C*REDEBAM lumen rebus concedere lumen,*
Quarum eſſet lumen; nunc ſecus eſſe patet
Splēdor es Heroū; ſplendorē Splēdor obūbras
Sic ſplendor nubes, lumina ſic tenebræ.

IN IO.

Q*VOD tot tentarunt fruſtra, tibi contingit uni,*
Ob res, quas alij non habuere Duces.
Hæc uincunt, Ius, Ars, Sors, Vis, Mens ſanior;
Tu uſu, Fortuna, Robore, Conſilio (*æquo*

IN IO. AVSTR.

P*OSTQVAM rerū opifex uerbo uſus cōdidit orbē,*
Diuino nutu cuncta creata regens:

Naualis

Naualis nulla eſt inſignior edita pugna,
Hac minor Aetola, Xerſis, & Actiaca.
Poſtquam Gradiuus cœpit clangore Tubarum
Ad funeſta uiros arma ciere ferus.
Tam fuit ardenti bellator pectore nullus,
Nec tanta eſt ulli fama parata DVCI.
Quantam uirtute inuicta ſibi Regius HEROS
Nunc peperit, domitis gentibus indomitis.
Cede Pater Nato, cui non tibi Tracia cedens
Cedit turba ſuam quo dolet Afra uicem.
Quæ Truculenta Patri obſtabat Bithynia Nato,
Non obſtat fugiens arma pauore iacit.
Cedite, qui CAROTO *ceſſiſtis, cedite Proli,*
Cui cedit Carolus, cedere ne pudeat.
Deuictis totum pacabunt hoſtibus orbem
Primus honor uolucrum, Gloria prima Ducum.

IN IO.

OBSTVPVERE *omnes unum feciſſe potentem,*
Quod tot magnanimi non potuere Duces.
Aſt ego non miror tot non feciſſe, quod unus;
Vnus pro centum millibus ille ualet.

IN IO.

NON *ſibi præfigi patitur tua Gloria fines,*
Atq. tuis factis terminus eſſe nequit
Siue tibi Carolum proponis, ſiue Philippum,
Te mouet hic frater, te mouet ille Pater.
Tendes ulterius, recoles ſi Patria SIGNA,

Si fratris pandes, altius ibit honos.

IN IO.

VITALES CAROLVS *ſi nunc euadat ad Auras,*
Egregijs Nati laudibus inuideat.

IN IO.

REPRESSIT CAROLVS *rediens ad lumina uitæ*
Vires Parrhaſij Principis Oebalias.
Falleris ah demẽs, ſuperas nec uenit ad auras,
Nec uicit CAROLVS, *filius at Caroli.*

IN IO.

NON *tam obtenta prius Victoria profuit omnis,*
Quam trucibus clades obſtitit una Getis.
Quã nuper CAROLI *inflixit fortiſſima Proles,*
Mactans Plutoni millia tot ciconum.
SIGNA PIO *miſit Templis figenda Quiritum,*
Perpetuã, ut clari ſint Monumenta DVCIS.

IN IO.

QVAE *iam pugnauere diu Mauorte ſecundo*
Barbaricas gentes quis docuit cadere?
Commaculare atro Neptunia Regna cruore?
Aequoreis miſerum piſcibus eſſe cibum?
Ille fuit, CAROLO *genitum quem fortia facta*
Teſtantur populis, intrepiduſq. animus,
Conſilium acre, manus uelox, inuictaq. uirtus,
Terrorem rabidis hoſtibus incutiens

Totq.

Totq. Duces uicit domita qui Claſſe ſuperbos,
Vt paucis fuerit uita, ſaluſq., fuga.
Qui, ſacras ædes ſpolijs oneratus opimis,
Poſſit TARPEII *nobilitare* IOVIS.
Quid ualuere arcus? dira quid cuſpide tela?
Harpæq.? & fœdi nomina uana uiri?
Sic biſaltarum cecidit cum milite Princeps,
Diffracta, ut ſerò tollere membra queat.
Omnis ut inſigni huic uni Victoria cedit,
Vnius pro alijs ſic celebretur honos.

IN IO.

L*ÆTVS regrederis Patareo uictor ab hoſte,*
Aduebitur Patrios barbara præda Lares.
Et IANI *claudes nullum reſeranda per æuum*
Phana breui, pacis pignora perpetuæ.

IN IO.

Q*VANTA ſit in terris tua Dux Carteſie uirtus,*
Gens deuicta queunt dicere Celtiberi.
Immerſoq. tuũ quid poſſit in æquore robur,
Naupacti monſtrant, & fera bella Sami.
Reſtat, ut in Lelegas iteres Tellure Triumphos,
Et ponat pugnis tertia pugna modum.

IN IO.

I*VPPITER ex alto proſpectans bella futura,*
Dixit aui, rurſum ſuggere tela mihi
Et diros adigam flagranti fulmine Thracas,

Et ſcelerum pœnas ad Phlegetontà luent.
Ales ad hæc; ſolita eſt tua debellare Gygantes
Dextera; pugna. Iovis non decet iſta manum.
Nequitiam qui frænet, habet Tarteſſia tellus,
Fac rogo, tam Clari ſim Dvcis Armigera
I, dixit; mea, erunt Immania corpora, bella,
Beſſorum ille potens agmina ſæua domet.

IN VENETOS.

Hesavros Maris Adriaci Regina recluſit
Ut foret Immani tutus ab hoſte Leo.
Strimonius caudā abſciderat iā dente fame
Artus quærebat dilacerare canis. (ſcens,
Non potuit Catulos rigido tutarier ungue,
Non explere ſitim ſanguine, carne famem.
Semianimiſq. iacent deſerto membra cubili,
Pro cauda metuit pendere triſte caput.

IN MARCVM ANTONIVM COLVMNAM.

Si nunc à priſca claros mutata Triumphos
Exoptas ueterum Roma uidere Dvcvm,
En expreſſa tibi ante oculos offertur Imago,

Unde

Vnde tua agnoſci priſtina forma queat.
Felicem VATICANAS *properantis ad* ARCES
Ingreſſum ciuis reſpice læta tui.
Captiuos ducit mani bus poſt terga retortis.
Occurrunt equites, cum populoq. Patres.
Hic eſt, ROMANI *quo maxima iura redibunt*
IMPERII, *& rurſum tu caput orbis eris.*

IN EVNDEM.

ALTER *ſuffectus, Cælum qui fulciat* ATLAS,
Alter non proterat ſidera ferre ſenex.
HEV *iam nutabat conuexo pondere Mundus,*
Cum PASTOR *cauit magna pericla* PIVS.
MARCVS *ſucceſſit confeſtim* ANTONIVS *Aſtris,*
Sic iuſſus, tergis grande quieuit onus.
Fortunati humeri, nimium, fœlixq. COLVMNA,
Inſignis pietas, prouida cura PII.

IN EVNDEM.

ARTVS *percuſſit Romana* COLVMNA *Tyrãno,*
Secum more Anguis ſaucia membra rapit.
Lethales iterum miſero capiti inferet ictus,
Reddeturq. ASIAE *Ciuibus* IMPERIVM.

IN PRINCIPEM PARMAE.

TAM fide domino Parmæ celeberrime prīceps
  Tu uerè es Princeps, attamē eſſe paras
Viuis in aſſiduis armis, duroſq. labores,
  Perfers, & uitæ mille pericla ſubis.
Facta tibi ante oculos patrui uerſantur Horati,
  Nec non OCTAVI fortia geſta patris
PONTIFICES miraris Auos, & rubra tuorum
  Pilea, & Auſtriacæ ſtemmata clara Domus.
Ad res egregias te uirtus excitat horum,
  Qui modo ſunt orbis, iamq. fuere DECVS.
Tu quoq. magnanimus per te, tua dextera fortis,
  Hoſtibus elatum deprimit eſſe caput.
Si quid terra ſtruit, ſi quid molitur, & æquor,
  Non caret auxilio hoc, non caret illa tuo
Nullum laudis enim quærendæ tempus omittis,
  Pugna Oenea tuum nomen ad Aſtra tulit.
Aſiacam irrumpis Puppim, Lydoſq. trucidas,
  Omnibus occiſis capta Carina fuit.
Præſentes animos, ò neſcia corda timorum,
  O miras uires PRINCIPIS Impauidi?
Cernere nunc uideor non uanos cuſpidis ictus,
  Mæonas, ante tuos qui cecīdere pedes
Haud ſecus, ac calamos æſtiuo tempore grando

Interdum rapidis decutit actæ notis
Vis Princeps igitur dici, quòd primus in hoſtes
Vadas, & ſine te fiat in Orbe nihil.

IN PRINCIPEM VRBINI.

PRINCEPS *mœſta tuos diſceſſus Vmbria fle-*
Vrbes cũ patrias, Oppida deſer eres, (*bat,*
Pacem mutares Bello, requiemq. labore,
Intrares tumidæ bella tremenda Thetis.
Tu dixiſti uſquam mortem euitare nequimus,
Funeris inquirat nobile qui ſq. genus.
Qui melius moritur, fælicior; omnia quære,
Nil quàm pro COELO *eſt dignius oppetere:*
His dictis, ferrum ſtrinxit tua dextra coruſcum,
Mygdones agnorunt Principis eſſe manum.
Vis ui non potuit, uirtus uirtute repelli,
Soſpite Bebrycij te cecidere Duces
Pulchra etiam uita eſt, ſi mors tibi pulchra fuiſſet,
Quærens ritè mori, uiuere ritè parat.
Partum nulla dies armis abolebit honorem,
Quàm ſunt geſtorum hæc Inclita Principia.
Auſpicijs fortuna tuis ſi læta fauebit.
Qui Decus Vrbini es, tu Decus ORBIS *eris.*

IN ASCANIVM CORNEVM.

HEROES reliqui poſt prælia longa quieſcunt,
 Et cedit pubi cana Senecta locum.
Narrant clara ſuæ Grandæui facta Iuuentæ,
 Vt Iuuenum ſtudijs ardeat his animus.
Arma tamen nunquam ponis tu natus in armis,
 Te ſatis ars quamuis bellica ſuſtulerit
Fortia de te alios, quam te Dux geſta referre
 Mauis, quæ Iuuenem, nobilitentq. ſenem.
Tunc tibi grata quies, eſt, cum te bella fatigant,
 Vulnus, & aduerſo pectore detegitur.
Splendor es Armorum, bellandi Gloria ſumma;
 Omnes EXEMPLVM ſumite ab Aſcanio.

IN MORTEM EIVSDEM.

NON uictus cecidi, non ſum mœrore peremptus,
 Victorem extinxit maxima Lætitia.

IN EIVSDEM.

QVID dare bellaci è terris ad ſydera noto,
 Præterea poterant fata ſecunda uiro?
Omnes namq. ſuos ualido fæliciter annos

Cum Marte exegit nobilis ASCANIVS:
Et morti occubuit Senior, Victorq., Domiq.,
Quando factorum GLORIA *ſumma foret.*

IN EIVSDEM.

BELLONAE *qui ſplendor erat, qui gloria Martis*
Laus Equitũ, Orbis honos Inclytus Aſcanius:
Inuida mors rapuit, ſed uiuet fama ſuperſtes,
Quæ fugit Inuidiam, quæ fugit interitum.

IN EIVSDEM.

C*Ertauere diu inter ſe duo fulmina Mars, Mors,*
Vult Mars, ut uiuat, Mors, cadat Aſcanius.
Fortior hæc illo, hac ego ſum, inquit, fortior ille,
Vn de minas alter non timet alterius.
Quàm longè, & latè pateant ſuą iura, tenet mors,
Quanta uiro dederit nomina, Mars meminit.
Victritem mortem uicit Mars uictus, obiuit
ASCANIVS, *uiuet tempus in omne tamen.*

IN PAVLVM IORDANVM.

I*Am tua te uirtus ingens, te ſanguine robur*
Indicat Hectoreo, Romuleoq. ſatum.
Nam quas miſerunt Mareotica litora gẽtes,
Prœlia ſenſerunt Marte cruenta tuo.
Non animos addit ſermo, ſed fortia facta
Militibus, dum tu corpora multa necas.

Certatim feriunt ſocij, audacterq. trucidant
Hoſtes, Lagæas comminuuntq. rates.
Quàm bene corda uirum didiciſti accendere ferro,
Te DVCE tam Gnauo, quis uelit eſſe piger?

IN HONORATVM CAIETANVM.

ALBO fauſta dies hæc eſt ſignanda lapillo,
Qua magnam doluit Sithonis unda necẽ.
Faſtorum æternis pugna intexenda libellis
Inclyta, Principibus tot decorata uiris.
Nunquam uiſa fuit gens dignior, aptior armis,
Bellorum poterat quilibet eſſe caput.
Quid de alijs? non iure amplos iactaret honores
Claſſis, Honorato nobilitata Duce?
Per te clara fuit ualidis defenſa lacertis,
Splendorem ergo tibi non dedit illa? dedit.
Diceris poſthac eo honoratiſſimus, ante
Semper honoratus nomine, req. magis.

IN

IN COMITEM SANCTÆ FLORAE.

NVM ſatis extulerant uirtutem Belgica bella?
Num ſatis extulerant inclyta facta tuã?
Nũc titulis titulos iunxit Calydonia pugna,
Addidit & meritis nomina nominibus.
Non laudatum adeo certamen fata dederunt,
Ex quo mundi habuit machina principium.
Terra Libyſca fremens, Europa, Aſia iuit ad arma,
Contecta innumeris æquora ſunt ratibus.
Mæonicus bacchans deducta Claſſe Tyrannus
Mouit in arma omnes, quos ditione premit.
Et facta coiere manu qui ſigna ſequuntur
CHRISTI, dulce quibus pro Pietate mori eſt.
Caribus at fractis bello, fatoq. repulſis,
Victor cum reliquis tendis ad Aſtra manus.
Quotidieq. magis Sanctus floreſcis honore,
Robuſtuſq. hoſtes cogis in exitium.

IN ANDREAM AVRIAM.

ANDREA qui ſis, produnt Illuſtria facta,
Terra tuũ reſonat nomen, & unda Maris.
Tu tanquã prognatus aquis Maria oĩa noſti,
Marmarici

Marmarici nequeunt te latitare doli.
Quicquid agis, magna ſapiens uirtute gubernas,
Non dubio euentu facta notanda puta.
Non ſatis unde liquet, tua ſit Prudentia maior,
An robur, trepidans hoſtis utrunque timet
Perge, tuum, perge eſt Libycas euertere gentes,
Fortis inhumanos perdere perge Scythas.
Perge, ut nil reſtet, Bithynam excindere ſtirpem,
Sic tandem ANDREAS AVREVS *extiteris.*

IN MICHAELEM BONELLVM.

D*VM prima ueſtis Michael lanugine malas,*
Mira gerens armis nobile nomen habes.
Iam tua fama plagas uolucris penetrauit Eoas
Præpes et extremã cõtigit Heſperiã.
Te ſimul ac perfecta uirum firmauerit ætas,
MARS *dicet mirans,* HIC *erit alter ego.*

IN PAVLVM GHISLERIVM.

Q*Vis modo Paule tuas laudes, quis facta ſileret?*
Debetur ualido Gloria magna tibi.
Hoſtibus in medys, telorum turbine ſeptũ,

Non te defecit uis, animuſq. alacris.
Lethi nulla tuam nauim formido ſubegit
Linquere, nec membris uulnera lata tuis.
Tuq. diu ſocijs ſeruaſti ſolus ademptis,
Robur inauditum quod Ducis intrepidi.
Sed cùm nulla ſalus numero creſcente maneret,
Securum ad litus te uehit OCEANVS.
Si Fortuna iterum faueat tibi tempore pacis,
Sydera ſublimi uertice percuties.
Nominibuſq. tuis meriti reddentur honores,
Clarus eris bello, paceq. clarus eris.

IN MARCVM QVIRINVM.

D*VM ſic fata uolunt, bini uenere Quirini,*
Hic eſt à diuo natus, & ille homine.
Alter ſeruauit Patriam, quã condidit alter,
Sic titulos pariter iactat uterque duos.
Hic, ſum mortalis Patriam tutatus ab hoſte,
Ille, mea dia Mœnia ducta manu.
Maior uter labor eſt? tædet me dicere, uos id
Dicite Romani, Dicite uos Veneti.

IN EVNDEM.

V*Ictores Veneti ut uictricia ſigna referrent,*
Deſuper armipotens Mars dedit auxilium.
Bellacem Aethereo demiſit ab axe Quirinũ,
Qui patrio Lycias robore frangat opes.

IN

IN VICTORIAM.

HOſtes Rhæteos quid mirum Claſſe ſubacta
Fœdaſſe effuſo ſanguine Nereidas?
Gẽtem belligeram è terris Rex miſit Iberis,
Et Dites Heneti uela dedere Notis.
Eximium Italiæ Columen uenere cohortes,
Quarum nota ſolo, notaq. fama Polo.
Plus autem ualuere Pij probitaſq. preceſq.,
Quàm tot magnanimum fortia tela Ducum.
Sancti uoce Patris ferrum in ſe, aut uerteret Hoſtis,
Aut Deus è cælo mitteret auxilium.

IN VICTORIAM.

CVR Leo lætatur? propter uictricia Signa.
Alitis, obſeſſo, quæ tulit arma Ioui.
Quo pacto fuit hæc uictrix? adiuta Columna,
Qui ſtetit hæc? Rectam Crux Pia ſuſtinuit.

SELYMVS CONQVERITVR.

QVid tot Regna Aſię? Lybięq. potẽtia Sceptra?
Thraces armiferæ quid iuuat Imperium?
Quid ſiccã Aegyptũ fœcũdãs Nilus arena?
Quid

Quid Babylon? Solymæ? Niſa? quid Aſſyria?
Quid cũ Cycladibus Strophades? quid Chalcis, et Argos?
Immenſæ quid opes? Innumeri populi?
Denique quid mihi proficit Bithynica claſſis,
Diues remigij, Præſidijq. potens?
Quærebam, ut totus mihi uectigalia mundus
Solueret, atque foret terra, Salumq. meum.
At non reſpondit uotis fortuna Tyranni,
Corpora ſunt capta, tradita claſſe neci.
Non uaſtum lata Oceanum ditione tenebo,
Præterea, remanet, quæ rapiatur humus.
Iamq. animo ſubigor contraria fata timere;
Iam triſti mentem uulnerum cura ferit.
Quæ noua conſilia ipſe, nouas quas corde uolutem
Artes, non uideo, ſpes mihi terra minor.
Qui modo ſubiecto Dominus dare iura uolebam,
Orbi, me abiectum qui regat, alter erit.
Captiuum tandem metuo, ne ad Mœnia Romæ
Heros Cæſareus me trahat ante Pium.

IN SELIM SVLTANVM.

NOn poſthac Sultane tibi Victoria cedet,
Non ſemper patitur facta ſceleſta Deus.
Nam ſatis ira diu culpis diuina pepercit,
Tarda magis grauiter crimina pœna manet.
Stulte, à quo poſſis uno ſperare ſalutem

Perſequeris, tua ſunt arma inimica tibi.
Si iuuat oppugnare alios, te deſine primum
Oppugnare ferox, hic ſapientis honor.
Siq. cupis Palmam, Palmæ cognoſce datorem,
Et cum tot tua ſint, fac tuus eſſe uelis.
Tempora iam ſuadent, ut te ſententia uertat,
Tu niſi eris CHRISTI, *non eris ipſe tuus.*
Hinc Mors, Excidium, inde tibi ſtant Vita, Triũphus,
Viue Triumphator dum potes ergo tui.

IN QVENDAM TVRCARVM DVCEM.

SE multum uidiſſe putat cui nomen Ocelli
Fecerunt, pauidus quòd citò terga dedit.
Lumen at exiguum potius tribuere Specilla,
Et quam longus erat, cernere non potuit.
Viſere quàm Dominum frendentem more Leonis,
Viuere præſtabat ſub ditione PII.

IN CARACOSIVM.

ANnexam dextræ in Chriſtum cœpiſſe Macherã
Caram rem quare es perfide Turca ratus?
Adiuro,

Adiuro, iſte tuus, quanti tibi conſtitit ardor,
Vis, fremitus, rabies, impetus, ira, furor.
HEV *dicendo meum cogis renouare dolorem,*
CARO, *nam* VITA; *res tibi cara ea ſit.*

IN EVNDEM.

CVR *ſcelerate Crucem peruerſa mente negaſti,*
Vnde Hominum uitæ dulce pependit onus.
An te ut Prædonem faceret piratica primum.
An uerò, ut Prædo, præda fores AQVILAE.

IN TVRCAS.

GENS *Inimica Deo auxiliũ nõ ſperet ab alto,*
At potius pauitans, horreat excidium.
Dux quoq. Boſphorius quàm poſſit fidere põ(to
Suprema hæc clades perdocuiſſe poteſt.
Terra negabit opem pariter, quæ torua Tyrannos
Oderit, aſſuetos ferre ſupercilia
Perfugium hoc unum, ſpes hæc nunc ultima reſtat,
Vt fautor Minos in ſua Regna uocet.

IN SELYMVM.

QVID *Mõſtrũ, horrendum uiſu molire Marinũ?*
Molior, ut ſanem uulnera foſſus aqua.

At uereor, ne non curem, niſi ſaucia membra
Componam terra, fidere nolo Mari.
Perſpice, quid facias, fluctus tua uita marinos
Appetit, egreſſus, ne moriare, caue.

IN EOSDEM.

ORBIS *Luna ſui ſedem mutauit; in Orbem*
Terræ, intra ROMAE *Mœnia lata fuit.*
Non ergo eſt Terra maior, non amplius errat,
Hæret in anguſto denique fixa loco.

IN EOSDEM.

IN Cælo pars nulla tibi, Cæleſte quid ergo
Lunæ Vexillum Turca ſuperbe geris?
Perdis iure, tuum quod non eſt, exere poſthac
Eumenidas, ſigna hæc te, & tua Regna decent.

IN SELYMVM.

PRAEPETIBVS *fretus pennis inuaſerat hoſtes*
Peruigil eructans uirus ab ore Draco.
Sopitam claſſem atq. improuiſam eſſe putabat
Sed uigilem, & tutam reperit Antidoto.

IN EOSDEM.

VTRAQVE *prætendens decreuit Cornua* LVNA
Cum ſit decreſcens Cornibus orba ſuis.

IN EOSDEM.

NOn hebetant AQVILAE *radiantia lumina Solis,*
Obtutum, illa acies, illud acumen ineſt.

Non

Non impunè ſua id tentauit lampade LVNA,
Vnguibus eſt niueas dilaniata genas.

IN EOSDEM.

*R*EGE *ſub impuro uiuens Oeagrius hoſtis*
Imbuit Ionias ſanguine cæſus aquas.
Iniuſti Domini faciles qui iuſſa capeſſunt:
Morte ſua ſemper facta neſanda pient.

IN EOSDEM.

SI prius ad flexas Mæandri concinit undas
Albus Olor, mortis fata propinqua ſuæ:
Dulcis colla ſonos nunc dat per longa canoros,
Ductores ſæui quòd periere PHRYGVM.
Omnia concupiunt oppreſſam Tyrannide, iuſtum
Regem, homines, uolucres, flumina, ſaxa, feræ.

IN SELIM.

*Q*VID *iactare poteſt accepta clade Tyrannus,*
Qui promiſiſſet certa Trophæa ſibi?
Noctes, atq. dies hæc ori uerba recurſant,
Mortuus eſt Carolus, uinceret ut Soboles.

IN MORTVOS.

HOSTIBVS eſt pulchrũ deuictis uiuere; uerũ
Pulchrius eſt ſancta pro PIETATE *mori.*
Clarior eſt Mortis, quàm ſit Victoria uitæ,
Iubilat in terra hæc, iubilat illa POLO.
Vos ergo caſi, quibus eſt Mors uita, Triumphus,
Viuite FOELICES, *uiuite in* ELYSIO.

IN PIVM Q. P. M.

INTEMERATA *breui pietas toto orbe uige-*
Relligionis erit uerus ubiq. modus. (bit,
Quid mirum? exutum uitÿs, uirtutibus orbẽ
Induit, ac homines uult Pius eſſe pios.
Vt, cum unus noſtræ ſit portus, & aura ſalutis,
Idem omnes capiat portus, & aura uehat.

IN MARCVM ANTONIVM COLVMNAM.

CERNERE *iampridem cur Martia Roma quadri*
Ceſſauit? Martis deſijt Imperium. (gas
Cur

Cur incedit ouans nunc? amiſſum hoſte ſubacto
Alta columna refert ex oriente decus.
Quò Nomadum timeas Romána propago Tyrãnum,
Per Marcum, rurſus ſi ſubit Imperium,
Dimidium regnum dant ponti iura recepta,
Ocyus & totum terra parata dabit.

IN IO. AVSTRIVM.

CArolus Herculeas potuit tetigiſſe columnas,
Plus ultra dicens uoce carente metu.
Hoſtibus à uictis tot ſumpſit nomina uictor,
Primus ut à primo Cæſare Cæſar eat.
Infectum de tot factis hoc reſtitit unum.
Impia non Getici contudit arma uiri.
Omnia ſi felix geſſiſſet dextra parentis;
Nullus honor nato, gloria nulla foret.
Nilq. orbis nato deberet. debet utriq.,
Clarus uterq. manet, filius, & genitor.

IN SELIMVM.

OMNIA *ſperabas, nil antè ſuperbe timebas,*
Spera nil poſthac, omnia fracte time.

IN EVNDEM.

VAE tibi qui magno mouiſti bella Tonanti,
Si ſternit uerbo, quid faciet gladio.
O te fœlicem, ò nouies, deciesq. beatum,
Si uerbum audieris, fugeris & gladium.

IN EVNDEM.

REgnat apud ſuperos ſic Cerberus ore trimēbri,
Alter ut infernas excubat ante fores.
Fauce auidus triplici triplicē quia deuorat or-
A trino cædem ſentiet hoſte triceps. (bem,
Ad ſtyga detrudent, uolucriſq. Leoq., Piuſq.
Et duo latrabunt per nigra regna canes.

IN EVNDEM.

IAM cito das gemitus, ueſtes conſcendis, & artus,
Illidis muro tam citò triſte caput.
Te grauiora pericla manent, grauiorq. ruina,
Hæc ſunt uenturi ſigna minora mali.

IN PIVM.

QVinque fuere Pij poſt fidi tempora Petri,
Sed Quintus felix dicitur, atq. Pius.
Nā Pius Hæreticis carum defendit ouile,
Felix cum Turcis maxima bella gerit.

O pia proſperitas, pietas ò proſpera, quæ ſic
Commiſſum duplici ſeruat ab hoſte gregem.

IN VICTORIAM.

Quis neget Europæ Europã fera bella paraſ-
Crudelẽ Libyã quis neget? atq. Aſiã? (ſe?
Sed uictrix uictaEuropa eſt,inuictaq.uictrix
Dũ mucrone Aſiam, ſe, Libyamq. domat.

IN BARBADICVM.

Dirum transfixo euellens de lumine telum,
Gentis honor Venetæ ſic moribundus ait.
Si te conſilio iuui,ſi Patria ferro,
Tempore ſi fidus ciuis utroq. fui:
Non ego pro meritis lacrymas, ſed tale ſepulcro,
Inſcribi carmen pro pietate peto.
O alter Codrus, propria qui morte ſalutem
Ciuibus afflictis, militibus parit.
O Thebanorum dux, laudatiſſimus alter,
Qui uictor gaudens hoſte cadente cadit.

IN ROMAGASSVM.

SI quis Barbariem eijciet Thraceſibus agris;
Extrahet & Scythica regna opulenta ma-
Si quid donabit Romã ceruice Tyranni; (nu,
Hic Melitenſis eques, dux Aquitanus erit.
Quæ fortuna uiro; quæue experientia poſſit?
Quæ maior uirtus? qui metus eſſe minor?

IN POMPEIVM COLVMNAM.

AGNOSCENS quid ſit Põpeio Roma carere,
Rurſum Pompeium ciuibus ipſa tulit.
Qui res, & uitam pro libertate profundit,
Cui nomen Magno gloria magna facit.
Hinc ego Pompeij patriæ, quàm Cæſaris, almæ,
Virtutem credo perplacuiſſe magis.

IN MORTVOS.

MIles utrinq. cadit (nõ ſit ſine ſanguine pugna)
Sed pari uterq. tamen non ratione cadit.
Nã cadit hic ſuprema petẽs, deſcendit ad ima
Ille

Ille cadens, manes hic, adit ille Polum.
O nimium, nimium diſpar modus iſte cadendi,
Dum cadit hic, uiuit; dum cadit ille, perit.

IN IO. AVSTRIVM.

Coelicolæ ducis Auſtriaci cãtate triumphos,
Eſt uictus, contra qui capit arma Deum.
Nereides fluctus cantu mulcete ſonoros,
Tuta per Oceanum noſtra carina fluit.
Gaudia tu tellus ſuperato prome Tyranno,
Quæ tibi ui rapuit, ui tibi reſtituet.
Omnia lætentur, tu mære perfide Turca,
Et tua perpetuo corda pauore micent.

IN VENETOS.

IMmortale odium Veneti exercete, Scytharũ
Aeterno bello ſollicitate ducem.
Bellorum neruus uobis non deficit aurum,
Nec, quæ proſcindant, ferrea roſtra, ſalũ.
Nec uos deſtituit, data cui eſt ſuprema poteſtas,
Hoſtes profligat qui probitate Pius.
Iuſtus & auxilium confert regale Philippus,
Victricisq. fauet dux animoſus auis.

Qui reſtant, citius ducti pietate còibunt,
Inuiſumq. petent unius enſe caput.
Pugnandi uires, uincendi agnoſcite tempus,
Suſcipite, à placido munera miſſa polo.
Non ſemel eſt uiciſſe ſatis, qui ſæpe Tyrannus
Vinci, ueſtraq. adhuc regna tenere queat.
Inſtandum, donec pallatur iure Pelaſgo,
Omnibus & dominis reſtituantur opes.

IN TVRCAS.

THREIICIAE *Carolum formidauere phalãges,*
Hunc præter, nullum pertimuere ducem.
Pectora ſollicito ſoluere inimica timore
Perpetuò tanti fata dolenda uiri.
Tunc ſic regnator Phrygiæ temerarius inquit,
Cunctis terror ero, quis mihi terror erit?
Deprecor, hæc eadem repetat iactator, inani
Spe niſi deluſit ſe, proceresq. ſuos.
Nunc in faſtoſam piratas conuocet aulam,
Congreget hic ſatrapas, conſiliumq. petat.
Nunc miſſas numeret miſſa cum gente triremes,
Et de tot uideat, quot rediere trabes.
Scilicet interitu Caroli timor omnis ademptus,
Sed natus, nimium qui timeatur, adeſt.
Si nunc ore negat trepidare, id corde fatetur,
Ecquando eſt tanti cauſa tributa metus?

IN MARCVM ANTONIVM COLVMNAM.

QVOD peperere duces primi, amiſere nepotes,
Quam male ſeruauit tradita poſteritas.
Noſtra nihil debent antiquis ſæcula, partæ
Non res ad noſtram pertinuere diem.
Obligat ætatem priſcam ſibi celſa Columna,
Et mediam, natis conciliatq. patres.
Nam ueterum famam renouat, deletque nepotum,
Dum iura acquirit priſtina Romulidum.

IN EVNDEM.

NEſcijt optare urbs quantum ſibi Marce dediſti,
Abs te ſed quantum ſat ſit, habere negat.
Cui multum debet, uult plus debere, tuoq.
Ingenti pro animo ſperat, & ampla petit.
Relliquias belli ſupera ſpes una Quiritum,
Te queat ut patriæ Roma uocare patrem.

IN EVNDEM.

VINCITVR, in ciues capiens Antonius arma,
Sumere in externos quæ poterat melius.
Vincit, mucronem pro ciuibus alter in hoſtes
Vertens, & Petri cymba triumphat aquis.
Fas nemo abrumpat, pugnantem deſerit æquum

Raro, teſtari Marcus uterque poteſt.
Ergo pugnemus patriæ pro iure tuendo,
Vincet, qui optabit pro pietate mori.

IN EVNDEM.

I Sequere auſpicia Antoni; meliora parabunt
In Patriam reditus, ſpes ea certa manet.
Iam res ſunt fractæ hoſtiles, fortuna receſſit,
Tu nihil illius de leuitate time.
Eſt in uirtutem fortunæ nulla poteſtas,
Si uerſare manu cætera cuncta ualet.
Atque ſua eſt fortunæ etiam conſtantia firmæ,
Serò enim amica nocet, ſerò inimica fauet.
Denique pro Chriſto pugnas, à quo omnia certa
Pendent, quique poteſt certa trophæa dare.
Vade igitur, ter ſigna crucis uictricia tecum,
Et tecum referes hoſtica ſigna domum.

IN TVRCAS CAPTIVOS.

PRorex Chalcidicus, Selymi & uenere nepotes
Romā captiui, magnaq. turba ducū.
Vincula barbaricos hoſtes Romana coercēt
Ponere credentes omnia ſub pedibus.
Qui male uaſtata ſuperunt fœdera Cypro,
Et ſua qui gaudent uerba carere fide;
Diſcant Iuſtitiam, & uerum cognoſcere numen,

Et ſiant poſita iam feritate Pij.
Viuere more hominum ſcribant, quàm more ferarum
Eſſe ſuis melius, ſitq. ea prima ſalus.
Hortenturve Pio potius ſe dedere, regna
Reddere, quotquot habent, quàm miſere perimi.
Addant, humanas nil contra numina uires
Poſſe, & ab Aſiacis numina falſa coli.
Ingenium nec ſe ſtupeant mutaſſe repente,
Inter enim mites quis ferus eſſe queat?

IN EVNDEM.

CVm Venetis, cum patre Pio, cũ rege Philippo,
Infandum bellum barbara turba gerit.
Hos tres dat tellus pro relligione potentes,
Numina terna ferunt his tribus auxilium.
Nam partes Venetum Marcus defendit amicas,
Regis Iacobus, Pontificiſq. Petrus.
Vis eſt tanta ducis, cuius ſex ſigna ſequuntur,
Inferna ut timeant, ut mare, terra, polus.
Hic Deus eſt cuius tanta eſt ſapientia, prorſus
Corda hominum ut uideat conſilia ut ſuperet.
O quàm mens Turcæ uobis eſt læua, putatis
Compreſſi pugno uincere poſſe Deum.

CÆ-

CÆSARIS MAZVTILLII.

DE M. ANTONIO COLVMNA ad Romam.

HVIC aſſurge, Patrũ renouas quo Roma Triumphos:
Aſſurge huic, rurſus quo redit orbis honos.
Dic: Cecidit probro Antoni ut mea gloria quondam,
Surgat ut Antoni ſic probitate decet.

OCTAVII ACOROMBONI.

In triumphum M. Antonij Columnæ, quem geſſit die Martis cælo ſereniſſimo, cum dies Lunæ fuiſſet turbidiſſimus.

DIC mihi Muſa precor, cur turbida tempora Lunæ,
Cur Martis nitido tempora Sole micant?
Diua bicornis heri fleuit fera uincla tuorum:
Mareo hodie armipotens læta trophæa parat.

IN

IN EVNDEM.

Sciendum eſt, Felicem Vrſinam eſſe uxorem M. Antonij Columnæ.

QVID mirum ò ciues, ſi toto nubila cælo
Ceſſere, atque minas ſi poſuere Noti?
Perdidit Vrſa Notos, Felicia tēpora reddēs,
Atque ſuum Boream iuſſit adeſſe uiro.

HORATII PASSARDII.

INnabat pelago Marti dans iura Columna,
Atque renidebat ſplendida Luna polo.
Luna ferire ſuis eſt cornibus auſa Columnā;
Sedibus hāc ſubito celſa Columna mouet.
Illico mutantur ſedes: proſternitur uſque
Luna mari, fulget firma Columna polo.

IO. BAPTISTAE EVANGELISTAE:

CAntemus uictas pueri, innuptæq. puellæ
Eoas acies, Threiciaſq. rates.
Cantemus captos reges, populoſq. ſuperbos:
Barbaraq.

Barbaraq. inuicta ſigna zelata manu.
Fronde ſacra, & uiolis uictricem cinge Columnam
I. Roma; triumphantem ſuſcipe leta ducem.
Non tam Scipiadas ueteres colucre Quirites,
Quàm debet cunctis alta Columna coli.

IOANNES CÆSARII
AD M. ANTONIVM COLVMNAM.

Foedere qui certo iunxiſti pectora Regum,
Vt ſimul in Turcas Marte furẽte ruant,
Hoſtibus & cæſis uictricia ſigna tuliſti,
Et facis, obducta fronte Tyrannus eat:
Perpetuo tua fama uiget, te cortice fagi
Deſcribunt Fauni, Nereideſq. canunt.
Inter quas Galatea, ſuos dum cantat amores,
Hos tibi purpureo fundit ab ore ſonos.
Te duce pacatum eſt æquor, te auctore Columna
Nos undis tuto ludimus æquoreis.
Præmia digna tuo quæ ſunt ſoluenda labori?
Telluris pauco tempore uictor eris.

ANTO-

ANTONII A MONTE.

Surgebat bacchata mari naualis Enyo,
Actia quà præceps littora pulſat aqua.
Claſſis utrinq. uiris armiſq. potētibus inſtat,
Et ſpectant fortes æquora preſſa duces.
Dumq. uolat dubia nutans Victoria penna,
Miraturq. pares hoſtis in hoſte manus:
Incenſos inter Chalybes ferrumq. ſuperbum
Diuinum Auſtriaco fulſit ab ore iubar.
Nec mora: fluxit iners ferrum, uelut imperet ipſis
Enſibus, è digitis perfide Turca tuis.
Dasq. in uincla manus, & barbara colla cathenas.
I nunc, et magnos diſce uidere Deos.

INCERTI.

Haud unquā retulit Cæſar tibi Roma triūphos,
Quales Auſtriaco lux dedit una duce.
Nam quis non Scythicas tremuit toto orbe phalanges
Nuper? quis ſæuas non timuitq. rates.
Et tamen Auſtriacæ gentis generoſa propago
Ioannes toto depulit orbe metum,
Aegæoq. Scythas fundens in gurgite, Victor
Ipſe ſuo Illyricos contudit enſe duces.
Nec mirum: ipſe ſuis ingentia cœpta ſecundat
Chriſtus, & in profugos inijcit arma Getas.

Quare inimica Deo penitus confringere ſigna
Inclyte dux aude, claraq. bella cie.
Sic Solymæ in ſummo Chriſti nexilla répones,
Et Chriſtum agnoſcet Barbara turba Deum,
Annue Chriſte pater, redeant Oriente ſubacto
Qui modo iuſta tuo numine bella gerunt.
Sentiat & Chriſtum uaſtum regnare per orbem
Sacrilega quiſquis ſumpſerit arma manu.

BALDVINI FELICIS.

IN GRIMANVM ET VENERIVM.

NVlla mora in bello ciues: mora nulla, Grimanus
Dixerat, ò forti ſumite tela manu.
Sumite tela manu, uentis date uela ſecũdis:
Pro patria, & ſummo bella gerenda Deo.
Innumeris augent trabibus uos claſſe relicta,
Et dant iam pulſi turpia terga fugæ.
Ite, & uictores tandem per tela, per ignes
Inclyta barbarico ponite iura foro.
Hic uox dicturum defecit, cuncta Veneri
Conſilijs ſpondent fata ſecunda tuis.
Adriaco tibi ſerta parant ſub marmore Nymphæ,
Textaq. perpetua laude & honore Deus.
Illa quidem excuſſo patriæ ceruicibus hoſte,
Hæc pro ſeruata relligione feres.

IN AVGVSTINVM BARBADICVM.

CVm non ſulphureo terrent te ſaxa rotata
Impete, nec Scythica ſpicula torta manu:
Heu nimiũ confiſe animis, tua te inclyta uirtus
Perdidit, hoſtiles dũ furis ante rates.
Ecce cadis, uictorq. hoſtis nos deſeris, ut ſint
Hoc uno noſtra gaudia grata minus.

IN DEFVNCTOS.

Felices animæ, quas magno patria luctu,
Quasq. canat lætis patria læta modis.
Indomita ueſtro docuiſti claſſe ſubacta
Robore Barbaricos poſſe pauere duces.
Quin duplice claro peperiſtis funere uitam:
Italiæ hanc, uobis altera uera datur.
Hinc non tàm memori decorat uos fama triumpho,
Quàm fama maior gloria ueſtra uolat.

IN CLARAM CORNELIAM.

MOrs eſt ob patriã uobis per uulnera Nati,
Longaq. magnanima morte parata quies.
Quid me igitur gemitus? quid triſti nænia plãctu,
Indignaq. iuuent pectora tũſa manu?

Ite meum circum geminata monilia collum
Seposita ad geminos purpura lude pedes.
Sit fortunatæ lux hæc ter peſla parenti:
Nam cælo, & patriæ, non mihi uos peperi.

HIERONYMI CATHENAE.

IN TVRCAS NAVALI PROELIO VICTOS

Ad Aldum Manutium Paulli F.

ALDE, quem colit Adria, atq. Tibris,
Et quo Mercurius ſtupet loquente,
O lux Palladia, unde litterarum
Ornamenta nitent & hinc, & inde.
Me deſiderium rapit, Tyranni
Tot cæſas canere impias triremes,
Quæ per Adriacum ſinum furebant
Onuſtæ ſpolijs, rapina ouantes.
Grandi percuperem Thalia honores
Dicere AVSTRIACI *Ducis, ſed ingens*
Me terret pudor, imparesq. uires,
Ne tanti minuam uiri triumphos.
Tu, qui Mæonio reſurgis aſtro,
Iberum iuuenem cane, ut ſuperbas
Merſat Threicias rates ſub undis,
Et pontum Scythico cruore tingit,

Vt cito Iſmarias ruit phalanges,
Inuictas nimis, atq. præpotentes.
Turcis nectis ut æneas catenas,
Aegeo dominatur, ac potitur
Rerum. ut Martigenæ trophæa Romæ
Decus Romulidum refert COLVMNA,
Potens conſilio, potensq. dextra.
Heroas celebres & hos, & illos
Inſignes Venetos perenni honore
Fortem VENERIVM, *impigrum* QVIRINVM,
Acrem BARBARICVM, *grauem, ſagacem,*
Prudentem numeris ad aſtra tolle.
Geſta condito gloria referta: hæc
Debebit tibi pugna ſempiternum.

HIERONYMI CATHENAE.
AD CAMILLVM AVSTRIVM
Corrigij dominum.

EN tādē indomitus truculēto Marte tyrānus
Cōcidit: en uoluit Turcarū corpora Nereus,
Atq. maris Scythico ſaturata ē unda cruore.
Tu qui bella moues, & ſanguine clarus aui
Auſtriaco, tanti pars magna Camille triumphi, (to es
Accipe quæ in uictos luſi modo carmina Thracas.
Si poſſent noſtræ infirmæ ſubſiſtere uires,
Egregiaſq. tuas laudes, & fortia facta,

Auſtriacumq. ducem ferrem ſuper æthera cantu.
Ut nunc Iſmariam Corcyræ ab litore gentem
Letali inſignem iaculo, leuibuſq. ſagittis
Expellis, canerem; lymphata ut mente furentes
Huc illuc, paſſim mittis ſub Tartara Mauros:
Et quas Ionio perdis ſub gurgite puppes
Threicias, & quas Epyri in litoris ora
Incendis, capis, excindis naueſq. uiroſq.
Dum tercentenis ſulcabat puppibus æquor
Turca ferox, ſpolijs quando exultabat opimis.
Auderem bellantum acies, horrentia circum
Agmina, & infando liquentia corpora tabo
Concinere, & pluuios ignes, & ſulphuris æſtus,
Sangineos fluctus, captas cæſaſq. triremes.
Sit labor alterius, tantis ſit conditor actis
Corſus, grandiloqui æquiparans monumẽta Maronis.
Is tua perpetuis ſeruabit nomina chartis.

IN SELINUM.

DUM uidet infidum Neptunus uina bibentem
Selinum, puras qui prius hauſit aquas:
Reginã uolucrũ impellit, ualidumq. Leonem,
Atq. Piã aduerſus Thracia mõſtra Crucẽ,
Qui Nomadum claſſem cito, lunataſq. phalanges
Incendunt, capiunt, diſiiciuntq. mari.
I nunc, Neptunum temnas, tumenſq. lyæo:
Cede mari, & uictus Thrax uada ſalſa bibe,

IN

IN TVRCAS.

TErgeminæ abſtulerãt Hecates duo numina Turcæ,
Queis fuerat latè fulta ſuper ba domus.
Nam cælo lunam, pharetras arcuſq. Dianæ:
Atq. his in noſtros bella tulere duces.
Aſt ambæ Heſperiæ diuino fœdere iunctæ,
Leucadis ad fluctus, Ioniumq. mare.
Cornua fregerunt Lunæ, pharetraſq. ſudeſq.
Traxeruntq. domum barbara monſtra, Scythas.
Nunc Turcæ amiſſo cælo, terraq., mariq.
Solum uos Hecates tertia regna manent.

IN SELINVM.

BELLA *cies inter ſpumantia pocula Bacchi*
Seline, & claſſem telaq. ſæua paras?
Compoſita & Venetis bacchãs tu fœdera rũpis?
Atq. ſcypho Cyprum concutis? ecce cadis.
Non te Selinum ſtolidi dixiſſe parentes,
Sed te Silenum dicere debuerant.

IN OBITVM FVLVII STALLAE.

ERGO *dum Veneris natos, Regnumq. tueris,*
Occidis? heu pompæ, deli ciæq. breues.
Heu Fului miſerãde iaces: modo nec tua tangũt
Et Venerem, & natos aſpera fata nimis.
Tu maris iratos poteras componere fluctus,
Obruere inſanis tranſtra inimica uadis.

Dura Venus, crudelis Amor, ſpes irrita amantum;
Fuluius hæc ueſter præmia miles habet.
Ne excidij des ſigna obitu: procul omen abeſto.
Tu ſat eris Cypriæ flenda ruina deæ.

IO. BAPTISTAE EVANGELISTAE.

QVOD coniurati ueniant ad claſſica uenti;
Et faueat Petri pontus, & aura rati:
Quòd uictas claſſes, & barbara ſigna referre
Cernamus noſtros ad pia templa duces:
Quòdq. cathenatas acies, regeſq. ſuperbos
Cernas Roma tuo ſubdere colla iugo:
Quòd duplices uno populi Paſtore regentur,
Quòdq. unum geminum claudet ouile gregem:
Fit ſuperum ſtudio, fit certo numine diuum;
Fit prece Romani, Pontificiſq. Pij.

INCERTI.

IN ROMAGASSIVM.

NVNTIVS ut felix fuſos ait æquore Turcas,
Lætus quiſq. ſui Principis acta refert.
Hic celebrat merita Auſtriacũ laude, ille Columnã

Is

Is Venetos, Ligurem laudat & ille ducem.
Non modo te Gallus Gallum, una uoce ſed omnes
Dant Romagaſſi nomina magna tibi.
Nempe animos, roburq. tuum, fortiſſima laudant
Pectora, & inuictas ſæua per arma manus.
Se iactent reliqui, partis ex hoste triumphis,
Maior at hæc tua laus cuncta per ora manet.
Diſſimulet patriam quiſquis uolet, at dedit armis
Te fortem Latio Gallia noſtra uirum.

HIERONYMI FLORELLII.

VICISTI bello Mauros, genus acre uirorum;
Viciſti haud ſuetos uincier ante Scythas.
I perge Auſtriacæ ſtirpis generoſa propago:
Stat caſura armis gens Othomana tuis.

FRANCISCI SERENI.

AVSPICIO ſoluẽs diro gens barbara claſſem
Corruit, atq. atro ſanguine tinxit aquas.
Quàm meritò cecidere oẽs pro talibus auſis?
Proh ſcelus: æthereo bella ciere Deo.
Quàm meritò egregijs nuſquam conſueta triumphis
Agmina, cæleſti robore cæſa iacent?

Hinc,

Hinc, ſuperis quicunq. amens mouet arma, parare
Se ſciat interitum protinus ipſe ſibi.

INCERTI.

Selimus Turcarum Imperator.

Luna ego, me mortis circũdedit undiq. terror,
Et quo confugiam, non patet orbe locus.
Per terrã fugiã? Leo ſæuit maximus armis.
Per mare? ſunt Venetũ carbaſa tẽſa No-
Aera per uacuum? uolucrum regina fugauit. (tis.
Per cælum? Petrus Regna beata tenet.
Quid faciam, moneas. redde omnibus omnia, amicum
Te excipiet cælum, Pontus, & æther, humus.
Ni facias, Styx atra monet, Letheaq. regna,
Cocytus, Phlegeton, Cerberus, Eumenides.

FRANCISCI ZANNII.

Fida Colũba, Ales Iouis, & Leo, fœdera iũgũt
Vir, iuuenis, ſenior deinde fuere duces.
Præponũt Iuuenẽ, in quo regnat uiuida uir-
Vir, ſenior Iuueni conſuluere ſimul. (tus:

Herculeo uno ictu mox contriuere Draconem
Alatum: pelago dira uenena dabat.
Fida ales uiridem ramum dedit ante Noeo,
Hunc rebus feſſis ſpem quoq. fert, & opem.
Sic auium regina Ioui iam tela triſulca
Attulit, adduxit fulmina magna modo.
Rex terris animantum lunæ cornua iniquæ
Diſiecit ponto; pulchraq. palma uiget.

PETRI GHERARDII. IN DEFVNCTOS.

NON hic funde roſas; petierunt templa deorũ
Illuſtres animæ pro pietate ſua.
Aeternamq. ſibi uitam, nobiſq. pararunt
Otia Chriſticolis longa per Auſoniam.

PETRI GHERADII.

DArdanidũ Veneti genus, & Romana iuuẽtus
Dux quibus ad bellũ præſidet Auſtriacus:
Argiua cũ claſſe manus, atq. hoſtibus Afris
Fluctibus in medijs conſeruere ſali.
Dum pugnant, ſparguntq. faces, & ſpicula uibrant,
Scinduntur dubia ſeditione Dei.

Mars

Mars à Romulidis, & Troiæ Cynthius author
A Venetis toto pectore ſtare ferox.
At pelagi domitor Danais, Vulcanus & Afris
Ore fauere, & opem ſuppeditare ſimul.
Adſtat Mauorti Cypris, Phœboq. Diana;
Neptuno Pallas, Iunoq. Mulciberi.
Hæ cupiunt iterum crudeli euertere bello
Relliquias Danaum per maria alta truces.
Amiſſos illæ reparare nepotibus optant
Fines, & tumidi tradere iura maris.
Dum ſtudia hæc inter uentos tenet Aeolus antro,
Deſcendit uolucris regia ſideribus:
Quæ Numidum claſſem diſiecit, & agmina Graium
Roſtro, atque alarum præpete remigio.
Hoſq. uolans laniauit atrox, & diſtulit ungue,
Hos fera cæruleis præcipitauit aquis.
Obſtupuere metu Iuno Saturnia, Pallas,
Aequoreuſq. parens, ignipotenſq. Deus.
Lætitia exultat Mars, Phœbus, Cynthia, Cypris,
Adijciunt ſuperis Auſtriacumq. ducem.

EIVSDEM.

Qui modo peſtifero tot iugera uent re fremebat
Terrarum ſerpens, & uolitabat aquis,
Cunctaq. inexpletum rapiebat corpora paſſim,
Tyrrhenis errans, Adriaciſq. uadis;
Arte nec humana deleri poſſet, & aſtu:
Perdidit hunc uolucris regia lapſa polo.
Namque illum è pelago fugere, elabiq. uolentem
Corripuit,

Corripuit, ſæuos implicuitq. pedes,
Sublimemq. tulit, roſtroq. atque ungue cruentans
Exanimum ſalſis præcipitauit aquis.
Quo facto terras purgauit labe maligna,
Soluit & altiuolans Itala corda metu.
Quæq. fretum timuere rates, iam cærula tutæ
Verrunt, nec fraudes permetuuntq. dolos.
Omnis iò reginam auium ſonat æquoris unda;
Rura canunt Aquilam, templa, domuſq. uirum.
Ergo quid arguitis rapti Ganymedis honores?
Illa Ioui luſus non agit uſque ſuo.
Et digna eſt ſacris celebri certamine ludis,
Vt uictor Phœbus, Pythia qui meruit.

Non iam Luna mari fulget, ſed merſa profundo eſt
Lumine caſſa. Fretum Solis ſub luce ſerena
Nauita percurre: hac tutum per cærula cunctis
Reddit iter, qui claſſe parant accedere portum,
Felices degant ubi ueræ tempora uitæ.

IN TVRCAS.

CAndida Luna orbem totum complere parabat:
Cornua ſed miſeræ fracta fuere modo.

IN AVGVSTINVM BARBADICVM.

VT ſaluum nouit clypeum, de pectore duxit
Thebanus iaculum dux, obijtq. libens.

Atque idem tenebras orbatus luce tuliſſes
Illi, ni multo per te quæſita labore
Splendorem miſere Victoria læta paraſſet.

IN EVNDEM.

Aſſiduo Veneti perdebant lumina fletu,
Quòd dux illuſtris lumine caſſus erat.
Non tulit in tenebris Victoria læta iacere
Hos, & ſe cunctis cernere poſſe dedit.

Quæ uictrix fuerat potenſq. Roma,
Paulatim cecidit Triumuiratu
Antoni, Lepidiq. Cæſariſq.
Clades inde quot Actium ſequutæ?
Quot Mundi caput urbs tulit ruinas?
At uictrix iterum potenſq. Roma
Se mox reſtituit Triumuiratu.
Nam Pij, Venetum, Auſtrijq. uires
Hoſtem non procul Actio ſuperbum
Fregere unanimes, & expauentem
Romamq. Italiamq. recrearunt.
Gaude Roma potens Triumuiratu,
Hoc breui caput orbis es futura.

HORA-

HORATII BLADI.

AD IO. AVSTRIVM.

NEptunum regnare mari dixere priores,
Et dare uentoſum iura per Oceanum:
Siue uelit fractas pelago ſubmergere puppes
Siue uelit placidis pellere uela Notis.
Dum tamen ipſe regit, uictrici claſſe tridentem
Neptuno Princeps, imperiumq. rapis.
En tibi pacatis famulantur cærula uentis,
En tua Nereides parta trophæa canunt.
Pande igitur uaſto uictricia carbaſa ponto,
Sidera nam ſpondent omnia fauſta tibi.

PETRI GHERARDII.

IN OBITVM FABII GRATIANI.

CVr triſtes animoſe Fabi tua funera flemus?
Funera non lacrymis ſunt decorãda tua.
Nãq. ubi tu melius poteras ſudiſſe cruorẽ,
Aut uitam melius ponere bella ſequens?
Eſt tibi profuſus Chriſti pro nomine ſanguis,
Qui pro te ſanguen ſuderat ipſe prius.

Tu

Tu mortem Chriſti pro relligione ſubiſti,
Pro tè ſuſtinuit qui prius ipſe mori.
At tibi perpetua iuuenis fortiſſime uita
Mutatur tenebris mors adoperta caput,
Et ſuperum pennis ſublatus regia Cæli
Tecta petis, ſummo perfrueriſq. Deo.

IN EIVSDEM OBITVM.

QVAE tibi glans niueum traiecit ahenea pectus,
Suſcepto igne cauis molibus acta, Fabi:
Eripuit dulcem tibi uitam, & gaudia nobis
Abſtulit, & patriæ ſpemq. decuſq. tuæ.
Nam tu noſter eras amor, & ſuprema uoluptas;
Et patriæ lumen, præſidiumq. potens.
Sed tibi nec dulcem uitam glans abſtulit illa,
Quin uita eſt dulcis parta cruore tibi.
Nam tu cælicolum ſtellanti in ſede locatus
Aeuum cum ſuperis ſorte beatus agis.
At nos in tenebris luctuq. relinquis amicos,
Et patriæ demis ſpemq. decuſq. tuæ.

IN EIVSDEM OBITVM.

PRo Chriſto tibi mors breuis eſt animoſe petita,
Qui te immortali morte redemit amans.
Vita breuis tibi pro Chriſto eſt animoſe profuſa,
Qui tulit æternam uectus ad alta tibi.
O nimium felix letum, nimiumq. beata
Vita: pias ſedes hæc peperere tibi.

IN EIVSDEM OBITVM.

DVM tendit Fabius per barbara tela, perignes,
Tactus ab ardenti glande colorat aquas.
Dum cadit, & Turcas uidet inclinare, ſonãti
Ore inquit, gaudens hoſte cadente cado.

IN OBITVM MAGNANIMI IVVENIS LVDOVICI Paulucij Peruſini Militum Ducis.

NActus præpropere fueras, qui Martis honorẽ
Te te præpropere Mors Ludouice rapit.
Præpropere rapuit; tua ſi perpenditur ætas:
Clotho uix quatuor nam tibi luſtra dedit.
At non præpropere; ſi quis tua facta reuoluit,
Quæ feciſſe puto uix potuiſſe ſenem.

ALIVD.

TV Generis, Patriæq. nouo ſplendore ſuperſtes
Auctuгus fueras Italiæq. decus:
Mors tibi ſed uitam, tituloſq. inuidit honeſtos.
Noluit antiquos te ſuperare duces.
Ipſa tamen Mortis, quæ ſpicula certa retundit
Rerum geſtarum Gloria uiua manet.

ALIVD.

ALIVD.

DIc mihi, quid lacrymę? miles quid pectora tūdit?
Quiſue nouus reſonat mæſtus in urbe ſonus.
Cur pullas ſumpſere togas tot in urbe celebres,
Et genere, & factis conſpicuiq. uiri?
Martis honos cecidit; Peruſinæ floſq. Iuuentæ;
Paulucíæ gentis ſpes, amor, atq. decus.

ALIVD.

PLvs ſolito exardens cælum cur bella minatur
Vndiq.? & è cælo Iuppiter Arma pluit.
Turcarum Inſidijs Iuuenem Mars eſſe peremptū,
Quem dolet ulciſci cum Ioue promptus adeſt.
Sanguine barbarico Martis ſaturabitur ira;
Sanguine barbarico lenta erit ira Iouis.

ALIVD.

FAELICES Animæ, felicia pectora bello
Fortiter ob ſanctam, quæ cecidere fidem.
Aeternam ueſtro meruiſtis funere uitam,
Claraq. uos ueſter caſus ad Aſtra tulit.
Egregius Chriſti miles cenſetur honoris
Victus, ſeu uictor conditione pari;
Poſt mortem niſi quod teneat re præmia uictus,
Olim uictori quæ meruiſſe ſat eſt.
Hinc tibi concedant merito quicunq. triumphos
Sperant euicto, perdomitoq. Scytha.
Mortaliſq. Deus cedat Dux AVSTRIVS, armis

Luſtrauit quamuis uictor utrumq. Polum:
Nam Ludouice tenes iam tu cæleſtia regna,
Atq. eſt pro ſceptro palmea uirga tibi.
AVSTRIE; fac regnes terra, pontoq. ſubacto
Pars quota ſunt cæli Regna futura tua?

AD FVLVIVM PAVLVCIVM EIVSDEM LVDOVICI fratrem amantiſſimum.

O QVAM Pegaſeum uellem potaſſe liquorē,
Pymplæumq. frequens incoluiſſe nemus:
Efficerem, Fului, late Ludouicus ut eſſet
Cognitus Eois, cognitus Heſperijs.
Pro re nunc animus tibi ſuſcipiendus amici,
Ut, quod non poſſum, ſit uoluiſſe ſatis.

LEONARDI CORICII.

FLoreat æternum Venetorū nomen, & Vrbis
Pareat Auſpicijs, Afer Arabſq. bonis.
Proterat interea furibūdi mēbra Draconis,
Vnguibus & lacerat terga ſuperba Leo.
Terrorem incutiant Chriſti ſimulacra potentis,
Crux animos adimat, crux fera corda domet.

Præuia ſint huius proceres inſignia uobis,
Hac ducente domus tota Othomana cadet.
Nunc animos, uires, fulgentiaq. arma parate,
Ne poſt uos ſegnes arguar ulla mora.
Cum pater Aethereus caſtris educere turmas
Annuet, & rurſus uellere ſigna dabit.
Perfidiæ luet infidus (mihi credite) pœnas,
Et cadet inflammas Turca ferox rapidas.
Tu quoq. ſyderei mater ueneranda Tonantis
Tunc ades, inq. hoſtes dirige tela tuos.
At uos inſignesq. uiri, forteſq. manipli,
Quorum cæde ſalus parta, quieſq. fuit.
Nunc ſuperis ſocij aſciti, cæleſtibus oris
Proſpicite, ut querulas fundimus ore preces.
Inferimuſq. aris ſolennia dona, nouoſq.
Vos tanquàm colimus cernua turba Deos.
Cæleſte auxilium nobis uos mittite Olympo,
Latius ut Victor proferat arma Leo.
Imperioq. Vrbes addat, ſublataq. ſceptra,
Cypridos in primis Regna beata ſuæ.
Sic egit, ergo Deum triplicem ueneremur, & unum,
Ille animi uires; robur & ille dabit.
Ille humiles tollit, trudit de ſede potentes,
Pauperibus donat, diuitibuſq. rapit.
Ille pios placido proſpectat lumine, & æquus
Adiuuat ille bonos, perdit & ille malos.
Adriaci Regina potens urbs inclyta fundi,
Illius Auſpicijs Barbara Regna domes.
Infringasq. minas hoſtis communis, ut omnem

Perniciem uertens in ſua membra cadat.
Funditus hinc pereat Mahometis gloria, & alti
Inſurgat Chriſti nomen ubiq. ſacrum.
Vrbs, pia, clara, uetus cunctos domineris in annos,
Vrbs Decus Europæ uiue, ualeq. diu.

Eisdem.

DE INSIGNI VICTORIA, Tyrcarvm Classe Partim demerſa, partim capta, Aſpirante Deo a Chriſtianis Reportata.

Vos mihi Caſtalides nunc aſpirate ſorores,
Ferte pedē huc, ueſtræ pādite & artis opes
Dum præfracta cano uiolēti robora Turcæ,
Noſtrorumq. addo fortia facta Ducum.
Tu pater in primis, cui terra, & Sydera parent,
Apta tuo huic operi ſuggere uerba mihi.
A te principium omne bonum, tua iuſſa ſecuta
Nil, niſi quod placeat, læta Thalia canet.
Sumpſerat arma ferox, falſi Mahometis alumnus,
Aſſuetus princeps ſubdere Regna ſibi.
Nouerat & nemo, quo uerteret agmina ſæua,
Alma Venus Cyprum ſenſit adire ſuam.
Surgit & Adriacam Dea tum deſcendit ad Vrbem,
Qam regnare diu uult pia cura Iouis.
Diuinum patres, populusq. attraxit odorem,
Percipit & placidum numen adeſſe ſibi.
Illa ſuo demum patefacto nomine belli

Auctorem memorat, mandat & arma capi.
Arma fremunt ergo pueri, fremit arma iuuentus,
Arma fremit uulgus, arma ſeneſq. fremunt.
Remigio aptatur claſſis, tum milite forti
Completur, uentis carbaſa tenſa tument.
Sulcantur ſubito æratis uada ſalſa carinis;
Idalium petitur, celſa Paphoſq. ſimul.
Impius hoſtis adeſt non æquis uiribus, Vltor
Nam ſpernit Regum perfida corda Deus.
Millia multa uirum lue ſunt confecta per æſtum,
Dum furit Idalijs Syrius ardor agris.
Millia multa uirum uindex Mars abſtulit, Vrbes
Perdere dum mentis nititur hoſtis inops,
Hoſtis inops mentis, nam quos Deus ipſe tuetur,
Perdere qui credit poſſe, furore agitur;
Aduenit interea Veneris cognomine clarus
Præfectus claſſis, unica ſpes Venetum,
Militiæ Venetæ Decus hinc Tellure mariq.,
Quo duce nil metuit ſacra corona patrum.
Mars dedit huic ultro uires, Neptunus & ingens,
Huic dedit ingenium culta Minerua ſuum.
Auſpice quo firmant animos iuueneſq. ſeneſq.
Auſpice quo Auſonidum iam reuireſcet honos.
Aegæon quondam; nam qualis in aſpera fertur
Prœlia, uel qualis Mars ſuper arma ſedens,
Bella gerit Fabius qualis, qualis ue Camillus,
Marcellus qualis, hic fera bella gerit.
Non impune ferat ſi quis ruat obuius illi
Seu pedibus miles, ſeu uiolentus eques.

Auſtriadum ſequitur Decus ingens Ianus auito
Sanguine. tum geſtis rebus ubiq. micans.
Omnibus ſic bellis aſſueuit uictor abire,
Fortunæ huic cœptis omnibus aura fauet.
Ductorem ergo patres tantum retinete benigni.
Obliget officijs gratia ueſtra uirum.
Irrita ſic poſthac iacientur ſpicula ab hoſte,
Sic Venetus Victor ſigna inimica trahet.
Viribus his iunctis penetrabunt arma Leonis.
Qua Nereus fluctu litus utrunq. ferit.
Pontificis ſacri geſtans inſigne Columnæ
Additur his Ductor claſſe, uiriſq. potens.
Agmine ſic triplici cæleſti numine freti
Inuadunt hoſtes, corda mouente Deo.
Hoc Duce Leucadio concurritur æquore, & horæ
Momento tumidis mergitur hoſtis aquis.
Inſolito timuit ſtrepitu chorus omnis aquai,
Et ſcopulos pauidus concauaq. antra ſubit.
Abdidit ipſe caput cæcis Neptunus in undis,
Fluctibus & medijs ignea tela pauet.
Non galeæ, clypei ue tegunt, lorica ue ahenæ,
Agmina quin canis igne crementur aquis.
Vnda tremit, pauido cælum tonat omne tumultu,
Iam Dux, iam miles murmure ſurdus erat.
Surdus erat ductor, nec iam tolerare calorem
Vulcani poterat, ni Venus alma foret.
Viribus illa ſuis flammas leuat, illa flabello
Sedula feſſa Ducis uentilat ora ſui:
Mauorti hoc placuit, timuit ſed dura pericula.
Imperat

Imperat & ſubito tum procul ire Deam.
Illa polum repetit ſeruans pia iuſſa Gradiui,
Dux aciem rurſus uertit in arma ferox.
Barbadicus adeſt animo, Auguſtinus & armis
Inuictus, claſſis cornua dextra ciens.
Acriter hic pugnans transfigitur ore ſagitta,
Haud tamen abiectus proterit hoſtis opes.
Proterit hoſtis opes, patriamq. tuetur ab hoſte,
Sanguinis at proprij prodigus ipſe perit.
Quo circa natos Principes ſolare relictos
Virtuti & tantæ præmia digna para.
Sic animos acuet Venetæ pietatis imago,
Sic renuet nemo ſæua pericla pati.
Affuit huic heros magna cum laude Quirinus,
Cui uirtute parem uix feret ulla dies.
Tres ſimul hos inter fratres, Cornelia proles,
Pectoris infracti ſigna dedere ſui.
Iuſtior in ſæuos dolor hos armauerat hoſtes,
Dum Cypro illata grandia damna dolent.
Inuida ſed tantæ uirtuti fata fuerunt,
Hora una heu miſeros, una tulitq. dies.
Nulla tamen famam poterit delere uetuſtas,
Splendor enim tantus obrutus eſſe nequit.
Mars furit inde magis, geminantur funera paſſim,
Victores pariter, uictus & ipſe cadit.
Multus ubiq. cruor medijs effunditur undis,
Cana prius paſſim iam rubet unda maris.
Ipſa ſuper claſſem uolitans Victoria noſtros
Excitat, inijciens hoſtibus uſque metum.

Diff-

Diffugiunt uiſu exangues, tremor occupat omnes,
Tollitur horrendus clamor ad aſtra ſimul.
Qualis in Aegæo uentorum ſpiritus alto
Inſonat, & fluctus litora curua ferit.
Arma inter fumum cælo rutilare uideres,
Præſtrepitu ruere & cuncta elementa putes.
Non tulit inſtantem claſſem gens impia noſtram,
Sed conuerſa fugæ per freta ſalſa ruit.
Incaſſum tollunt hoſtes inſignia Lunæ,
Incaſſum torquent ſpicula acuta manu.
Non artes proſunt, pereunt hortamina cuncta,
Quin uertat nemo terga uetare poteſt.
Chriſticolæ at proceres circunſtant undiq., & hoſtes
Obtruncant, capiunt hinc ſpolia ampla ferunt.
Tradita ſic nobis hilaris Victoria tandem
Gloria ſic Venetum iam magis aucta uiret.
Sicq. refert Ductor uictricia ſigna Leonis,
Sic uiget Imperium Marce beate tuum.

DE TVRCICA NAVMACHIA, ET CHRISTIANA VICTORIA.

Io. Dominici Cantiani Spilimbergenſis.

NVNC ò cum ſenibus, uos pueri, DEVM,
Vos puræ Iuuenes matribus additæ,
Imo corde MARIAM;
Summa & uoce precamini.
Ut ſint auxilio Chriſticolis ſuis,
Depellantq. Stygi Tartareum canem:

Vnuſ-

Vnuſquiſque ſuprema
CHRISTVM ſollicitet prece.
Tollent ſic gelidum (quis dubitet?) metum,
Rebus compoſitis, exitio rates
Sternentes Othomanas
Quoquo illis libeat modo.

QVIS te, ò Deorum, quis furor impulit
Fœdus paternum rumpere prælio,
Tentator audax? quid LEONEM
Immeritò Venetum laceſſi?
Cæleſtis hæc hæc, ingenio & potens,
Et firma multo robore bellua
Simplex uidebatur? putaſti
Poſſe ſua hanc ſpoliare pelle?
Non, qui uirenti ſub Nemees coma
Ceruice fractus concidit, eſt Leo;
Sed diſtat illi, ceu iuuenco
Sanguineus placido Lycaon.
Quin, ſi reſurgat, maximus Hercules
Clauam timeret ſtringere dextera
Aduerſus iſtum pertimendum
Vngue recuruo, & hyante rictu?
Vides, ut hoſtis per mare, per ſolum,
Et per ſonantem ſe gerit aera
Te te requirens, annuente
Concilio Iouis, ac Deorum?
Iam fulminantem dentibus excutit
Accenſus ignem, iam gladio ferit

Erectus

Erectus alis, iam ſuprema
Te ferus exagitat ruina.

At quis uetuſtum promere Cæcubum
Spernit dyota? nunc pateræ graues
Exhauriantur, nunc bibacem
Teutona me faciat uoluntas.
Donec madenti lumina comprimens
Morpheus, ſuauem ſenſibus inſerat
Obliuionem. quid moraris?
Dulce merum puer huc miniſtra.
Hoſtis Deorum perpetuus Scythes,
Noſterq. tinctum ſanguine Thracio
Potauit æquor. nos olenti
Vina decent ſaturata muſco.

Turca, tibi fracto quæ mens? num frangere claſſem
Leucadijs iterum, queis ſic ſubmergeris, undis?
Aſt tibi nunc etiam naues, & lintea reſtant?
Si quæ ſunt, AQVILAM fugiunt, uolucrēq. Leonē.
Cur non reſpondes? Tot equi, quot Sidera. Quid tibi
Tu ſatiare ſitim amborum uis ſanguine multo.

Indicium faciunt de te tua nomina uerſa.
O Selin. Nil es, ſic propè fines adeſt.

Dimidiæ, Selin, curua plus cornua Lunæ;
Et fiat uacuus circulus in medio.
Hoc inſigne tuis geſtetur gentibus, aptum;
Namq.

Namq. tibi nullum nunc erit Imperium.
Quæ non fert ætas? quæ non miracula promit?
Nunc iterum Triplicem diues Iberus habet.
Alter hic, alterius, factis eſt fortibus, ultor:
Ecce nouum Alciden uincit, & exanimat.

LVCII MELCHIORIS BARLÆI BELGAE IN IOAN. AVSTRIACVM.

AVſtriades poſtquã Maleæ deſcẽdit in æquor,
Oethei referens magnanima ora Ducis,
Auerſus refluis Achelous inhorruit undis,
Ne reliquum cornu frangeret iſte timens.
Aſt animo iuuenis maior, quam ut ab Hercule magno,
Præmia qui uellet iam ſemiparta ſequi;
Et neque dotatam quærens Calydonide ſponſam,
Curet ut amplexus, Deianeira, tuos;
Sed maiorem illa, quam contudit Hercules, Hydra,
Quærit, & hanc forti uincere Marte parat.
Illa etenim tantum ſurgens in ſibila ſeptem
Anguſtis Lernæ regna tenebat aquis:
At fera tercentum capita hæc immania motans,
Vaſta duo tumida cornua fronte gerit,
Ferro armata truces, & diro fulmine fauces,
Sparſa mouet toto bella cruenta ſalo.
Hanc tamen ingenti iuuenis certamine uicit,

Ter-

Terribiliſq. mari bellua uicta iacet.
Tu, genus egregium Carli, ſed iam Hercule maior,
Iſta renaſcatur ne grauis Hydra, ueta.
Atque ut ne ille bouis ſolus ſit uictor, & alter
Eſt tibi, quo uicto cornua bina feras,
Threicium dicunt hunc Boſphoron, hunc ubi pugna
Viceris, Eoas uictor habebis opes.
Vt tuus Herculeas ultra noua regna Columnas
Auro perdomuit regna beata Pater;
Sic tu Alcmenigenæ, Bacchiq., & Cæſaris aras
Tranſgreſſus, qua ſol mane reducit equos,
Extremo ſtatues delubra Oriente decora
Illi, qui tibi dat uincere poſſe, Deo.

F. Q. VERI TARVISINI

TVrcarum ponto oppreſſa eſt maxima claſſis,
Quid nunc eloquitur perfidus ille Selim?
Non Hiſpanorum uis fert; non altera Roma
Non manus Hadriacum me ſuperaſſe ualent.
Pugnauit certe altitonans, unde agmina noſtra
Victa cadunt ſubito genſq. Othomana mari.
Quid faciam? conuertar enim Turcæq. libenter
Hoc modo grex unus, Paſtor & unus erit.

IN-

INCERTI.

ALituum Geminos ſequitur Regina Ioannes,
Quos ſuperi inuictos conſtituere Duces,
Vt calamo uerace alter, uictricibus armis
Alter, & offenſam ſeruet ab hoſte fidem.

PALMERII SCARDANTIS.

ET laniata feris in denſis Delia ſiluis,
Nil potuit rabies pernicioſa canum.
Fruſtra lunato contorſit ſpicula cornu,
Non potuit cornu, non potuere canes.

Eiuſdem.

COncidit in luco morſu Diana ferarum,
Arcus quid ualuit? ſpicula ſæua? canes?

ALEMANII FINI.

Εἰ νέος Αὐςριάδης ὑπερῦρεν θρᾴκα θαλάσσῃ,
Ἐκνηᾶν ἐχθρῶν πόλλα τρόπαια φέρων,
Εἴ τε πόλιν δ' ἄρ Κωνςαντίνου λήψεται λαμπράν
Τὶ μέγα, τῶ πέμπτος Κάρολος ἦν γε πατήρ.

SIC SONANT LATINE.

AVſtriades Iuuenis ſi uicit in æquore Thracē,
E claſſe hoſtili multa trophæa ferens,
Si Conſtantini claram penetrabit ad Vrbem,
Quid mirū? Quintus Carolus hūc genuit.

NVMÆ POMPILII FINI
Ode Dicolos Tetraſtrophos.

DIVA, quæ cælo frueris beata,
Te precor, magnum referas triumphum,
Quem dies felix tibi dicta, uicto
Attulit hoſte.
Perfidus rumpens noua pacta pacis
Mouerat bellum Venetis Selinus,
Iamq. mærentis Veneris ſubacta
Regna tenebat.
Cum PIVS ſummus moderator orbis,
Impetus optans cohibere Thracis,
Iunxit æterno Venetis Philippum
Fœdere Regem.
Iungitur claſſis Venetis Ibera.
Iungit armatas pariter triremes.
Pontifex magnus Duce ſub Columna

Fulmine belli.

Frangit anguſtis ubi Pontus undis
Actium, uentis ueniunt ſecundis
Hoſtium naues, Venetæ minantes
Prælia claſſi.

Vix erant pugnæ data ſigna, uentus
Qui prius Turcis fuerat benignus,
Ille fit noſtris ratibus ſecundus
Numine Chriſti.

Pugna miſcetur ſubito cruenta,
Mars ferus ſæuit, ratibuſq. iunctis
Cæditur magnus numerus Scytharum.
Milite noſtro.

Vnda cæſorum rubet ob cruorem
Hoſtium, multis tegitur peremptis
Millibus Thracum pelagus, Ioanni
Marte fauente.

Claſſe Turcarum penitus ſubacta,
Solus euaſit Calaber, triremes
Duxit & iunctas aliquot, ſequentem
Dum fugit hoſtem.

Tu Deus, nobis uenit unde palma,
Vt fuit ponto ſuperatus alto,
Fac precor, terris ſuperetur iſte
Perfidus hoſtis.

Vrbe quò tandem Solyme recepta,
Qua tulit CHRISTVS *moriens triumphum,*
Thura dent aris tibi nox ſacrandis
Maurus, & Indus.

ALEMANI FINI DIALOGVS. VENERIS, ET GINEVRAE Balioniæ, ob mortem Aſtoris eius coniugis in Cypri inſula à Turcis trucidati.

V. *Quid fles? iam parcas lacrymis ò magna Virago.*
Et mihi nunc flendum, nec tamen ipſa fleo.
G. Ambabus flendũ, ſed flẽdi ò magna Dearum
Altera cauſa tibi eſt, altera cauſa mihi.
Regna Cypri deflenda tibi, mihi funere cari
Coniugis, horribilem qui tulit hoſte necem.
Eſt Regni iactura tui reparabilis armis;
Aſtora, ſed caſum quis mihi reſtituet?
Ipſa Paphum repetes anguem ſuperante Leone.
Nulla mihi reddent fata, nec arma uirum?
V. Si tibi nulla uirum reddent nec fata, nec arma,
Aura quid laceras unguibus ora tuis,
Mitte precor lacrymas tandem, tuus Aſtor Olympi
Præcinctus lauro ſidera celſa tenet.
Quod ſupereſt, faciam ne Mars patiatur inultum
Eſſe Ducem, pœnas ſed dabit hoſtis atrox.

IN FOEDVS ICTVM INTER PRINCIPES CHRISTIANOS
Beliſarij Gadaldini Carmen.

Clarior en ſolito exurgens natalibus undis
Cynthius afflicto paſſim noua gaudia mundo
Nuntiat, haud ſortis, uenturiq. inſcius æui:
Scilicet ut Reges inter ſancita Fideles
Fœdera ſint hodie Venetam uulganda per urbem.
Surgite iò iuuenes, manibus date lilia plenis,
Spargite humum folijs, ſuperumq. altaria Diuum
Muneribus cumulate pijs pro munere tanto.
O quæ fatidicæ nobis felicia Parcæ
Tempora promittunt; ò quæ ſecla aurea ſurgent;
Cum Libyæ extremo deuictus Marte Tyrannus
Occidet, atque omnes una cum nomine Turcæ.
Cernite, ut ante alios firmati fœderis auctor
Ipſe ingens pietate PIVS, *cui Rector Olympi*
Turbine in hoc tanto terræ commiſit habenas,
Florentes populos inimica in prœlia mittat:
Quot Rex Hiſpana gentes tellure Philippus
Effundat bello aſſuetas, & fortibus auſis:
Quot Veneti cogant acies peditumq. equitumq.:
Italaq, ut pubes animis ardentibus arma
Arma fremat; raucoq. ſimul clangore tubarum
Et nemora, & ſiluæ reboent, colleſq. ſupini.

Luſtrarit quamuis uictor utrumq. Polum:
Nam Ludouice tenes iam tu cæleſtia regna,
Atq. eſt pro ſceptro palmea uirga tibi.
AVSTRIE, fac regnes terra, pontoq. ſubacto
Pars quota ſunt cæli Regna futura tua?

AD FVLVIVM PAVLVCIVM EIVSDEM LVDOVICI fratrem amantiſſimum.

O QVAM Pegaſeum uellem potaſſe liquorẽ,
Pymplæumq. frequens incoluiſſe nemus:
Efficerem, Fului, late Ludouicus ut eſſet
Cognitus Eois, cognitus Heſperijs.
Pro re nunc animus tibi ſuſcipiendus amici,
Ut, quod non poſſum, ſit uoluiſſe ſatis.

LEONARDI CORICII.

Floreat æternum Venetorũ nomen, & Vrbis
Pareat Auſpicijs, Afer Arabſq. bonis.
Proterat interea furibũdi mẽbra Draconis,
Vnguibus & lacerat terga ſuperba Leo.
Terrorem incutiant Chriſti ſimulacra potentis,
Crux animos adimat, crux fera corda domet.

Præuia

Præuia ſint huius proceres inſignia uobis,
Hac ducente domus tota Othomana cadet.
Nunc animos, uires, fulgentiaq. arma parate,
Ne poſt uos ſegnes arguar ulla mora.
Cum pater Aethereus caſtris educere turmas.
Annuet, & rurſus uellere ſigna dabit.
Perfidiæ luet infidus (mihi credite) pœnas,
Et cadet inflammas Turca ferox rapidas.
Tu quoq. ſyderei mater ueneranda Tonantis
Tunc ades, inq. hoſtes dirige tela tuos.
At uos inſignesq. uiri, forteſq. manipli,
Quorum cæde ſalus parta, quieſq. fuit.
Nunc ſuperis ſocij aſciti, cæleſtibus oris
Proſpicite, ut querulas fundimus ore preces.
Inferimuſq. aris ſolennia dona, nouoſq.
Vos tanquam colimus cernua turba Deos.
Cæleſte auxilium nobis uos mittite Olympo,
Latius ut Victor proferat arma Leo.
Imperioq. Vrbes addat, ſublataq. ſceptra,
Cypridos in primis Regna beata ſuæ.
Sic egit, ergo Deum triplicem ueneremur, & unum,
Ille animi uires; robur & ille dabit.
Ille humiles tollit, trudit de ſede potentes,
Pauperibus donat, diuitibuſq. rapit.
Ille pios placido proſpectat lumine, & æquus
Adiuuat ille bonos, perdit & ille malos.
Adriaci Regina potens urbs inclyta fundi,
Illius Auſpicijs Barbara Regna domes.
Infringasq. minas hoſtis communis, ut omnem

Perniciem uertens in ſua membra cadat.
Funditus hinc pereat Mahometis gloria, & alti
Inſurgat Chriſti nomen ubiq. ſacrum.
Vrbs, pia, clara, uetus cunctos domineris in annos,
Vrbs Decus Europæ uiue, ualeq. diu.

Eisdem.

DE INSIGNI VICTORIA, Turcarum Classe Partim demerſa, partim capta, Aſpirante Deo a Chriſtianis Reportata.

Vos mihi Caſtalides nunc aſpirate ſorores,
Ferte pedē huc, ueſtræ pādite & artis opes
Dum præfracta cano uiolēti robora Turcæ,
Noſtrorumq. addo fortia facta Ducum.
Tu pater in primis, cui terra, & Sydera parent,
Apta tuo huic operi ſuggere uerba mihi.
A te principium omne bonum, tua iuſſa ſecuta
Nil, niſi quod placeat, læta Thalia canet.
Sumpſerat arma ferox, falſi Mahometis alumnus,
Aſſuetus princeps ſubdere Regna ſibi.
Nouerat & nemo, quo uerteret agmina ſæua,
Alma Venus Cyprum ſenſit adire ſuam.
Surgit & Adriacam Dea tum deſcendit ad Vrbem,
Qam regnare diu uult pia cura Iouis.
Diuinum patres, populusq. attraxit odorem,
Percipit & placidum numen adeſſe ſibi.
Illa ſuo demum patefacto nomine belli

Auctorem

Auctorem memorat, mandat & arma capi.
Arma fremunt ergo pueri, fremit arma iuuentus,
Arma fremit uulgus, arma ſeneſq. fremunt.
Remigio aptatur claſsis, tum milite forti
Completur, uentis carbaſa tenſa tument.
Sulcantur ſubito æratis uada ſalſa carinis;
Idalium petitur, celſa Paphoſq. ſimul.
Impius hoſtis adeſt non æquis uiribus, Vltor
Nam ſpernit Regum perfida corda Deus.
Millia multa uirum lue ſunt confecta per æſtum,
Dum furit Idalijs Syrius ardor agris.
Millia multa uirum uindex Mars abſtulit, Vrbes
Perdere dum mentis nititur hoſtis inops,
Hoſtis inops mentis, nam quos Deus ipſe tuetur,
Perdere qui credit poſſe, furore agitur;
Aduenit interea Veneris cognomine clarus
Præfectus claſsis, unica ſpes Venetum,
Militiæ Venetæ Decus hinc Tellure mariq́.,
Quo duce nil metuit ſacra corona patrum.
Mars dedit huic ultro uires, Neptunus & ingens,
Huic dedit ingenium culta Minerua ſuum.
Auſpice quo firmant animos iuueneſq. ſeneſq.
Auſpice quo Auſonidum iam reuireſcet honos.
Aegæon quondam; nam qualis in aſpera fertur
Prœlia, uel qualis Mars ſuper arma ſedens,
Bella gerit Fabius qualis, qualis ue Camillus,
Marcellus qualis, hic fera bella gerit.
Non impune ferat ſi quis ruat obuius illi
Seu pedibus miles, ſeu uiolentus eques.

Auſtriadum ſequitur Decus ingens Ianus auito
Sanguine . tum geſtis rebus ubiq. micans.
Omnibus ſic bellis aſſueuit uictor abire,
Fortunæ huic cœptis omnibus aura fauet.
Ductorem ergo patres tantum retinete benigni.
Obliget officijs gratia ueſtra uirum.
Irrita ſic poſthac iacientur ſpicula ab hoſte,
Sic Venetus Victor ſigna inimica trahet.
Viribus his iunctis penetrabunt arma Leonis.
Qua Nereus fluctu litus utrunq. ferit.
Pontificis ſacri geſtans inſigne Columnæ
Additur his Ductor claſſe, uiriſq. potens.
Agmine ſic triplici cæleſti numine freti
Inuadunt hoſtes, corda mouente Deo.
Hoc Duce Leucadio concurritur æquore, & horæ
Momento tumidis mergitur hoſtis aquis.
Inſolito timuit ſtrepitu chorus omnis aquai,
Et ſcopulos pauidus concauaq. antra ſubit.
Abdidit ipſe caput cæcis Neptunus in undis,
Fluctibus & medijs ignea tela pauet.
Non galeæ, clypei ue tegunt, lorica ue ahena,
Agmina quin cauis igne crementur aquis.
Vnda tremit, pauido cælum tonat omne tumultu,
Iam Dux, iam miles murmure ſurdus erat.
Surdus erat ductor, nec iam tolerare calorem
Vulcani poterat, ni Venus alma foret.
Viribus illa ſuis flammas leuat, illa flabello
Sedula feſſa Ducis uentilat ora ſui:
Mauorti hoc placuit, timuit ſed dura pericula.
Imperat

Imperat & ſubito tum procul ire Deam.
Illa polum repetit ſeruans pia iuſſa Gradiui,
Dux aciem rurſus uertit in arma ferox.
Barbadicus adeſt animo, Auguſtinus & armis
Inuictus, claſſis cornua dextra ciens.
Acriter hic pugnans transfigitur ore ſagitta,
Haud tamen abiectus proterit hoſtis opes.
Proterit hoſtis opes, patriamq. tuetur ab hoſte,
Sanguinis at proprij prodigus ipſe perit.
Quo circa natos Principes ſolare relictos
Virtuti & tantæ præmia digna para.
Sic animos acuet Venetæ pietatis imago,
Sic renuet nemo ſæua pericla pati.
Affuit huic heros magna cum laude Quirinus,
Cui uirtute parem uix feret ulla dies.
Tres ſimul hos inter fratres, Cornelia proles,
Pectoris infracti ſigna dedere ſui.
Iuſtior in ſæuos dolor hos armauerat hoſtes,
Dum Cypro illata grandia damna dolent.
Inuida ſed tantæ uirtuti fata fuerunt,
Hora una heu miſeros, una tulitq. dies.
Nulla tamen famam poterit delere uetuſtas,
Splendor enim tantus obrutus eſſe nequit.
Mars furit inde magis, geminantur funera paſſim,
Victores pariter, uictus & ipſe cadit.
Multus ubiq. cruor medijs effunditur undis,
Cana prius paſſim iam rubet unda maris.
Ipſa ſuper claſſem uolitans Victoria noſtros
Excitat, inijciens hoſtibus uſque metum.

Diſſu-

Diffugiunt uiſu exangues, tremor occupat omnes,
Tollitur horrendus clamor ad aſtra ſimul.
Qualis in Aegæo uentorum ſpiritus alto
Inſonat, & fluctus litora curua ferit.
Arma inter fumum cælo rutilare uideres,
Præſtrepitu ruere & cuncta elementa putes.
Non tulit inſtantem claſſem gens impia noſtram,
Sed conuerſa fugæ per freta ſalſa ruit.
Incaſſum tollunt hoſtes inſignia Lunæ,
Incaſſum torquent ſpicula acuta manu.
Non artes proſunt, pereunt hortamina cuncta,
Quin uertat nemo terga uetare poteſt.
Chriſticolæ at proceres circunſtant undiq., & hoſtes
Obtruncant, capiunt hinc ſpolia ampla ferunt.
Tradita ſic nobis hilaris Victoria tandem
Gloria ſic Venetum iam magis aucta uiret.
Sicq. refert Ductor uictricia ſigna Leonis,
Sic uiget Imperium Marce beate tuum.

DE TVRCICA NAVMACHIA, ET CHRISTIANA VICTORIA.

Io. Dominici Cantiani Spilimbergenſis.

NVNC ò cum ſenibus, uos pueri, DEVM,
Vos puræ Iuuenes matribus additæ,
Imo corde MARIAM,
Summa & uoce precamini.
Vt ſint auxilio Chriſticolis ſuis,
Depellantq. Stygi Tartareum canem:

Vnuſ-

Vnuſquiſque ſuprema
CHRISTVM ſollicitet prece.
Tollent ſic gelidum (quis dubitet?) metum,
Rebus compoſitis, exitio rates
Sternentes Othomanas
Quoquo illis libeat modo.

QVIS te, ò Deorum, quis furor impulit
Fœdus paternum rumpere prœlio,
Tentator audax? quid LEONEM
Immeritò Venetum laceſſi?
Cæleſtis hæc hæc, ingenio & potens,
Et firma multo robore bellua
Simplex uidebatur? putaſti
Poſſe ſua hanc ſpoliare pelle?
Non, qui uirenti ſub Nemees coma
Ceruice fractus concidit, eſt Leo;
Sed diſtat illi, ceu iuuenco
Sanguineus placido Lycaon.
Quin, ſi reſurgat, maximus Hercules
Clauam timeret ſtringere dextera
Aduerſus iſtum pertimendum
Vngue recuruo, & hyante rictu?
Vides, ut hoſtis per mare, per ſolum,
Et per ſonantem ſe gerit aera
Te te requirens, annuente
Concilio Iouis, ac Deorum?
Iam fulminantem dentibus excutit
Accenſus ignem, iam gladio ferit

Erectus

Erectus alis, iam ſuprema
Te ferus exagitat ruina.

At quis uetuſtum promere Cæcubum
Spernit dyota? nunc pateræ graues
Exhauriantur, nunc bibacem
Teutona me faciat uoluntas.
Donec madenti lumina comprimens
Morpheus, ſuauem ſenſibus inferat
Obliuionem. quid moraris?
Dulce merum puer huc miniſtra.
Hoſtis Deorum perpetuus Scythes,
Noſterq. tinctum ſanguine Thracio
Potauit æquor. nos olenti
Vina decent ſaturata muſco.

Turca, tibi fracto quæ mens? num frangere claſſem
Leucadijs iterum, queis ſic ſubmergeris, undis?
Aſt tibi nunc etiam naues, & lintea reſtant?
Si quæ ſunt, AQVILAM *fugiunt, uolucrēq. Leonē.*
Cur non reſpondes? Tot equi, quot Sidera. Quid tū?
Tu ſatiare ſitim amborum uis ſanguine multo.

Indicium faciunt de te tua nomina uerſa,
O Selin. Nil es, ſic propè fines adeſt.

Dimidiæ, Selin, curua plus cornua Lunæ;
Et fiat uacuus circulus in medio.
Hoc inſigne tuis geſtetur gentibus, aptum;

Namq.

Namq. tibi nullum nunc erit Imperium.
Quæ non fert ætas? quæ non miracula promit?
Nunc iterum Triplicem diues Iberus habet.
Alter hic, alterius, factis eſt fortibus, ultor:
Ecce nouum Alciden uincit, & exanimat.

LVCII MELCHIORIS BARLÆI BELGAE IN IOAN. AVSTRIACVM.

AVſtriades poſtquã Maleæ deſcẽdit in æquor,
Oethei referens magnanima ora Ducis,
Auerſus refluis Achelous inhorruit undis,
Ne reliquum cornu frangeret iſte timens.
Aſt animo iuuenis maior, quam ut ab Hercule magno,
Præmia qui uellet iam ſemiparta ſequi;
Et neque dotatam quærens Calydonide ſponſam,
Curet ut amplexus, Deianeira, tuos;
Sed maiorem illa, quam contudit Hercules, Hydra,
Quærit, & hanc forti uincere Marte parat.
Illa etenim tantum ſurgens in ſibila ſeptem
Anguſtis Lernæ regna tenebat aquis:
At fera tercentum capita hæc immania motans,
Vaſta duo tumida cornua fronte gerit,
Ferro armata truces, & diro fulmine fauces,
Sparſa mouet toto bella cruenta ſalo.
Hanc tamen ingenti iuuenis certamine uicit,

Terribiliſq. mari bellua uicta iacet.
Tu, genus egregium Carli, ſed iam Hercule maior,
Iſta renaſcatur ne grauis Hydra, ueta.
Atque ut ne ille bouis ſolus ſit uictor, & alter
Eſt tibi, quo uicto cornua bina feras,
Threicium dicunt hunc Boſphoron, hunc ubi pugna
Viceris, Eoas uictor habebis opes.
Vt tuus Herculeas ultra noua regna Columnas
Auro perdomuit regna beata Pater;
Sic tu Alcmenigenæ, Bacchiq.; & Cæſaris aras
Tranſgreſſus, qua ſol mane reducit equos,
Extremo ſtatues delubra Oriente decora
Illi, qui tibi dat uincere poſſe, Deo.

F. Q. VERI TARVISINI

TVrcarum ponto oppreſſa eſt maxima claſſis,
Quid nunc eloquitur perfidus ille Selim?
Non Hiſpanorum uis fert; non altera Roma
Non manus Hadriacum me ſuperaſſe ualent.
Pugnauit certe altitonans, unde agmina noſtra
Victa cadunt ſubito genſq. Othomana mari.
Quid faciam? conuertar enim Turcæq. libenter
Hoc modo grex unus, Paſtor & unus erit.

IN-

INCERTI.

ALituum Geminos ſequitur Regina Ioannes,
Quos ſuperi inuictos conſtituere Duces,
Vt calamo uerace alter, uictricibus armis
Alter, & offenſam ſeruet ab hoſte fidem.

PALMERII SCARDANTIS.

ET laniata feris in denſis Delia ſiluis,
Nil potuit rabies pernicioſa canum.
Fruſtra lunato contorſit ſpicula cornu,
Non potuit cornu, non potuere canes.

Eiuſdem.

COncidit in luco morſu Diana ferarum,
Arcus quid ualuit? ſpicula ſæua? canes?

ALEMANI FINI.

Εἰ νέος Αὐστριάδης ὑπερῦρεν θρᾶκα θαλάσσῃ,
Ἐκνηκῶν ἐχθροῦ πολλα τρόπαια φέρων,
Εἴ τε πόλιν δ᾽ ἀρ Κωνσταντίνου λήψεται λαμπράν
Τὶ μέγα; τῶ πέμπτος Κάρολος ἦν γε πατήρ.

SIC SONANT LATINE.

AVſtriades Iuuenis ſi uicit in æquore Thracẽ,
E claſſe hoſtili multa trophæa ferens,
Si Conſtantini claram penetrabit ad Vrbem,
Quid mirũ? Quintus Carolus hũc genuit.

NVMÆ POMPILII FINI
Ode Dicolos Tetraſtrophos.

DIVA, quæ cælo frueris beata,
Te precor, magnum referas triumphum,
Quem dies felix tibi dicta, uicto
Attulit hoſte.
Perfidus rumpens noua pacta pacis
Mouerat bellum Venetis Selinus,
Iamq. mærentis Veneris ſubacta
Regna tenebat.
Cum PIVS *ſummus moderator orbis,*
Impetus optans cohibere Thracis,
Iunxit æterno Venetis Philippum
Fœdere Regem.
Iungitur claſſis Venetis Ibera.
Iungit armatas pariter triremes.
Pontifex magnus Duce ſub Columna

Fulmine

Fulmine belli.

Frangit anguſtis ubi Pontus undis
Actium, uentis ueniunt ſecundis
Hoſtium naues, Venetæ minantes
Prælia claſſi.

Vix erant pugnæ data ſigna, uentus
Qui prius Turcis fuerat benignus,
Ille fit noſtris ratibus ſecundus
Numine Chriſti.

Pugna miſcetur ſubito cruenta,
Mars ferus ſæuit, ratibuſq. iunctis
Cæditur magnus numerus Scytharum.
Milite noſtro.

Vnda cæſorum rubet ob cruorem
Hoſtium, multis tegitur peremptis
Millibus Thracum pelagus, Ioanni
Marte fauente.

Claſſe Turcarum penitus ſubacta,
Solus euaſit Calaber, triremes
Duxit & iunctas aliquot, ſequentem
Dum fugit hoſtem.

Tu Deus, nobis uenit unde palma,
Vt fuit ponto ſuperatus alto,
Fac precor, terris ſuperetur iſte
Perfidus hoſtis.

Vrbe quò tandem Solyme recepta,
Quæ tulit CHRISTVS *moriens triumphum,*
Thura dent aris tibi nox ſacrandis
Maurus, & Indus.

ALEMANI FINI DIALOGVS.

VENERIS, ET GINEVRAE Balioniæ, ob mortem Aſtoris eius coniugis in Cypri inſula à Turcis trucidati.

V. *Qvid fles? iam parcas lacrymis ò magna Virago.*
Et mihi nunc flendum, nec tamen ipſa fleo.
G. Ambabus flendũ, ſed flẽdi ò magna Dearum
Altera cauſa tibi eſt, altera cauſa mihi.
Regna Cypri deflenda tibi, mihi funere cari
Coniugis, horribilem qui tulit hoſte necem.
Eſt Regni iactura tui reparabilis armis;
Aſtora, ſed caſum quis mihi reſtituet?
Ipſa Paphum repetes anguem ſuperante Leone.
Nulla mihi reddent fata, nec arma uirum?
V. Si tibi nulla uirum reddent nec fata, nec arma,
Aura quid laceras unguibus ora tuis,
Mitte precor lacrymas tandem, tuus Aſtor Olympi
Præcinctus lauro ſidera celſa tenet.
Quod ſupereſt, faciam ne Mars patiatur inultum
Eſſe Ducem, pœnas ſed dabit hoſtis atrox.

IN FOEDVS ICTVM INTER PRINCIPES CHRISTIANOS
Beliſarij Gadaldini Carmen.

Clarior en ſolito exurgens natalibus undis
Cynthius afflicto paſſim noua gaudia mundo
Nuntiat, haud ſortis, uenturiq. inſcius æui:
Scilicet ut Reges inter ſancita Fideles
Fœdera ſint hodie Venetam uulganda per urbem.
Surgite iò iuuenes, manibus date lilia plenis,
Spargite humum folijs, ſuperumq. altaria Diuum
Muneribus cumulate pijs pro munere tanto.
O quæ fatidicæ nobis felicia Parcæ
Tempora promittunt; ò quæ ſecla aurea ſurgent;
Cum Libyæ extremo deuictus Marte Tyrannus
Occidet, atque omnes una cum nomine Turcæ.
Cernite, ut ante alios firmati fœderis auctor
Ipſe ingens pietate PIVS, *cui Rector Olympi*
Turbine in hoc tanto terræ commiſit habenas,
Florentes populos inimica in prœlia mittat:
Quot Rex Hiſpana gentes tellure Philippus
Effundat bello aſſuetas, & fortibus auſis:
Quot Veneti cogant acies peditumq. equitumq.:
Italaq. ut pubes animis ardentibus arma
Arma fremat; raucoq. ſimul clangore tubarum
Et nemora, & ſiluæ reboent, colleſq. ſupini.

Parte alia innumera leniter ſpirantibus Auſtris
Carbaſa tendentes ſcindunt uada cærula puppes,
Barbaricamq. petunt concordi fœdere claſſem.
Quis tibi nunc hoſtis cernenti talia ſenſus?
Quoue metu trepidas? cum litora feruere latè
Proſpicias, totumq. dehiſcere claſſibus æquor?
Siccine iactabas tete, dum fœdere rupto
Adriacis partem Cypri multo agmine nuper
Cepiſti? tumiduſq. nouo præcordia regno
Non hominum, non ulla Deum ſæua arma timebas.
Iam uideo Oceano in magno concurrere utrinq.
Ardentes in bella rates: claſſemq. rebellem
Funditus euerti; uaſtumq. tumeſcere pontum,
Dum rapido fractas abſorbet gurgite naues
Scuta uirum, galeas, deuotaq. corpora morti.
Inde Dei claſſem uictricia ſigna mouere,
Feruidus anguſtis qua faucibus Helleſpontus
Aeſtuat, & longo ſulcat duo litora tractu.
Hinc equitum turmas, peditumq. hinc ire cateruas
Regniſq. & populis ſtragem exitiumq. minantes.
Euphratem, Gangemq. metu trepidare ſub imis
Fluctibus, & ſeptem gemini tremere oſtia Nili.
Iam uideo exanimem pulſo cum milite terga
Vertere, & ad Scythicos curſum contendere ſaltus
Selimum, ac ſeſe extremis abſcondere ſiluis:
Illum ſectari Heſperios, animamq. nefandam
Eripere, & media reſupinum linquere arena.
Atq. ita deuictis diuino nomine Turcis,
Vrbibus euerſis, totoq. Oriente ſubacto,

Victores præda immenſa ſpolijsq. potitos
In patrias urbes magnis remeare triumphis.
Tunc folijs redimita comas felicis oliuæ
Candida pax late populos inuiſet ouantes,
Quam pia relligio inceſſu comitabitur æquo.
Tum fera bellandi rabies, & triſtis Erinnys,
Tum Maomethææ exitialia ſemina peſtis,
Tartareaſq. domos, horrentiaq. antra ſubibunt.
Aureaque læto naſcentur ſæcula mundo,
Sæcula quæ uentura olim uoluentibus annis
Veridici uates præſaga mente canebant.
Surgite iò iuuenes, manibus date lilia plenis
Spargite humum folijs, ſuperumq. altaria Diuum
Muneribus cumulate pijs, pro munere tanto.

EIVSDEM SVPER EXCIDIVM BARBARAE CLASSIS TABELLA DEPICTVM.

QVIS uiolare auſit iurato fœdere pacem,
Regna aliena iugo premere, atq. excindere gẽ
Immeritã, patrẽq. hominũ, patrẽq. Deorũ (tẽ
Temnere, & immemorẽ ſceleris putet eſſe nefandi?
Ah te ne tanti rabies ueſana furoris,
Exagitet, quicunq. pij moderaris habenas
Imperij; tenet ipſe pater memor omnia mente,
Et meritas ſumit maturo tempore pœnas.
En Aſia Venetis polluta pace Tyrannus,
Vrbibus euerſis, ingenti cæde peracta,
Contemptis uictor ſuperis, tumiduſq. ſecunda

Sorte ruens, totumq. fatigans clasſibus æquor,
Vt curſu cadit in medio, uictuſq. repente
Sternitur, ac pœnas auſo pro crimine pendit,
Non hæc conſilio humano, & mortalibus armis
Proueniunt; Deus ipſe, Deus poſt funera mille;
Poſt mille exhauſtos terræq. mariſq. labores,
Nos tandem aſpiciens, æterno fœdere pacis
Tergeminos iunxit Reges, tua fulmina belli,
Armauitq. pias cæleſti robore mentes,
Et dedit indomitas hoſtis contundere uires.
Cernis ut Ionio concurrant æquore utrinq.
Frontibus aduerſis inimica in bella triremes,
Ac uario ardentes ineant certamine pugnas?
Infracti utq. duces Orientis, & agmina latè
Heſperio ſub Marte cadant? congeſtaq. claſſis
Centum annis, centum uictrix ſucceſſibus una
Luce ruat? uiden' infectas quam multa per undas
Telaq. Threicioſq. arcus, Lyciaſq. pharetras
Verſet, & hoſtili turgeſcat ſanguine pontus?
Paſce oculos, animumq. tuum, miroq. labore
Artificis fruere, ac partis lætare triumphis,
Te tamen hoc unum ſemper præq. omnibus unum
Admoneat, miſeris quantum mortalibus obſit
Iuſtitiam, & ſummi Regem contemnere Olympi.

ROMVLVS GEORGINVS.

IN LAVDEM CLARISSIMI D. AVGVSTINI BARBADICI
Prouiſoris Generalis.

HErculeum tibi cedat opus, cum uiribus illud
Polleat, adiungis uiribus ingenium.
Quare ſelicem canimus te, terq. beatum,
Italiæ gentis, gloria, ſama, decus;
Nam cum Turcarum naues in æquore ſciſſas
Aſpexere Dij, te uoluere ſecum,
Vt ueluti præbent urſæ duo ſidera numem,
Auguſti, & pariter numina bina ſorent.

MARQVADIVS SVSANNA.

TVRCARVM IMPERATORI.

A*SPICE terribilem, Sydus cæleſte, Leonem*
Turce, ferox etiam quam ſit in orbe Leo,
Quàm bene nunc mūdi Quintus moderetur habenas
Iſte Pius, ſuperos in ſua uota trahens.
Aſpice, ut aduerſis obſtet tibi fluctibus æquor
Aduerſo, arma mouens in tua fata, Deo.
Roma tuam, & Venetis coniuncta Hiſpania, claſſem
Perdidit, hæc læti ſint monimenta, tui,

Niteris in uetitum, cæleſtia numina lædens,
Imperium, perdet crux Veneranda, tuum.

FRANCISCI A MVLA VTINENSIS.

NAVALE CERTAMEN ADVERSVS TVRCAS.

Rex Thracũ, infidus, bellis qui credidit orbẽ
Terrarum, & miſerã deprimere Auſoniã,
Europæ inſtructis ratibus dũ terruit urbes,
Et ſuperi, Inferniq. oppida cuncta maris.
Auſtriadum ecce Ducũ, Venetorũ, & claſſe Columnæ,
Militum & inuicta Marte fauente manu.
Corruit in medio hoſtilis numeroſa profundo
Claſsis, & ui tumidis capta, uel obruta aquis.
Auibus unde Italis Victoria parta, & Iberis
Afferet in Latio mille trophæa ſolo.
Exemplumq; hoſti, quam ſint periuria damno,
Qui Venetæ ſoluit fœdus amicitiæ.

PAVLI RIGOLINI.

ÆNIGMA.

Nil es, in Solem ſi tendis cornua Lunæ,
Abiectis, Solis lumine Sol in eris.

Dilu-

Dilucidatio.

VT Solis ſi Luna petat diſperdere lucem,
(Solari amiſſo lumine) nulla manet.
Nil es, in Solem ſi uertas cornua, at illis
Auerſis Chriſti flammine Sol in Eris.
Iam ſtudeas ſančto perfuſus fonte renaſci,
Viuere & æternum (Sole fauente) diem;

LVDOVICVS COLLONIVS
VTINENSIS
Turcarum Imperatori.

IMprobe, tu noſtras audes inuadere terras;
Nec te relligio, nec mouet ulla fides?
Sic Venetos temnis longo tibi fœdere iuctos,
Pactaq. iam toties teſtibus icta Deis?
Deſine: & accenſum depone errore furorem
Perfide; dum reputas uincere, uictus abis.
Quid moneat Claſſis (tecum meditare parumper)
Iſta recens, armis, igne, ſubacta mari,
Iam uenit metuenda dies; uenere dolores
Perfide; quos Vates præcinuiſſe ferunt,
Scilicet, ut nunquam ceſſes perſoluere pœnas
Sanguine, & Adriaco colla ſubire Duci.

IACOBI FANNII.
IN VICTORIAM CHRISTIANORVM.

IAM nil triſtitiæ nil iam formidinis uſquam
Sit ueteris, gaudete omnes terræq. mariſq.
Chriſticolæ populis, decet exultare periclis
Ereptos magnis, templis indicere honores
Cælituum Regi properent iuueneſq., ſeneſq.
Nam nihil à dira Turcarum gente timere
Dant ſuperi nobis, en captos nauibus omneis
Amiſſis tremere audimus gens efferà uinclis
Pertrahitur, licet en magnos ſpectare triumphos,
Quantos nuſquam orbis uidit, non ſæcula priſca,
Non Roma ipſa dedit, magnas licet illa phalanges
Fuderit, & late Imperio ſubiecerit orbem;
Nunc agite ò uatum doctorum quicquid ubiq. eſt,
Debellatum hoſtem, & conſertam dicere pugnam.
Approperate, ſciant Indi procul, atq. Britanni
Turcarum excidium, depreſſaq. barbara regna;
At uos, qui iunctis pugnaſtis fortiter armis
Magnanimi Heroes, gens inuida, Martia proles.
Pergite relliquias contento perdere curſu,
Nuſquam terra auſint, nuſquam conſiſtere ponto
Sicut, ubi excreſcunt montanis imbribus amnes.
Sternuntur nemora, & fruges ſternuntur, & agri,

Aut

Aut ueluti, ſi quis ſiluis arentibus ignem
Inijcit, uruntur crepitantibus omnia flammis
Nec potis eſt ullus Vulcano obſtare furenti,
Adriaci Patres fælix Reſpublica natalem
Nunc celebrare diem, perſoluere uota benignis
Cælitibus, regna his accepta referre memento,
Hi te uincere dant, iuſte his operata futura es
Terrarum omneis regna ut cum maxime in annos.

ALEXANDER PAVLINVS.

IN VICTORIAM ILLVSTRISSIMI Senatus Veneti contra Turcas.

ECce Leo pennis Aquilę ſublatus in auras
Fregit, qui caudam læſerat, hoſtis opes,
Et parat auſpicijs Orientem uiſere Quinti
Vindicet à canibus, ſacraq. fana lupis,
Sint faciles illi curſus, & munere Chriſti,
Indis, ac populis imperet ille Arabum;

SELINO TVRCARVM IMPERATORI.

ET noſtri, atque tui Vates extrema Selime
Imperia tibi nunc tempora adeſſe canũt.

Per-

Perfida mens, moreſq. mali, tibi perdita Claſſis,
Teſtantur populi uocis ubiq. ſono,
Quare cede Leoni, & uerum numen adora,
Cede Pio, & ſacris oscula fer pedibus.

De roſarum Ortu intempeſtiuo.

INte mpeſtiuo quid mirum, flore roſarum
Horti ſi Veneta nunc regione nitent?
Nam Cypro detruſa Venus bachante Selino
Incoluit Veneti culta uireta Soli,
Menſibus inde alienis Copia multa roſarum
Exorta Ambroſiæ ſpargit odore domus.

FABIVS PAVLINVS.

De Victoria Nauali Illuſtriſſimi Senatus Veneti, contra Turcas.

VIderat adducta Neptunus in æquora Claſſe
In ſua uelle Scytham ponere regna pedē;
Tunc ait, uxori quales temeraria fratris
Nata olim pœnas Laomedonte dedit;
Cecropiæ aut nepti quales Colophonia Aracnes,
Aut quales Vati Marſia Pierio;
Tu quoque Turca mihi tales dabis improbe pœnas;
Accipe uenturæ nunc monumenta necis;
Dixerat, & magnum dextra rapit inde tridentem,
Et pelago Claſſem ſubruit ille ſuam.

Eiuſdem.

Eiuſdem.

Ut quodam indutus uultum, exuuiaſq. Leonis
Terrori cunctis turpis Aſellus erat,
At ſpolio nudatus, heroq. recognitus ipſo
Ridetur cunctis, quem timuere prius,
Sic Turca, Heſperias qui dudum terruit Vrbes,
Chriſticolas bellis in ſua fata trahens,
Nunc iacet amiſſa Naupacti in litore Claſſe
Ridiculus cunctis, queis metuendus erat.

INCERTI.

BArbare, qui Venetis iniuſte fœdere rupto
Cepiſti armato milite multa loca,
En Deus omnipotens celſa hoc reſpexit ab arce,
Vindictæ & iuſtæ maxima ſigna dedit,
Namque dies celebris Iuſtinæ Virginis Almæ,
Exitiumq. tibi, perniciesq. fuit.

IN AVGVSTINI BARBADICI obitum feliciſſimum.

AMphitryoniades Auguſto cedat adempto,
Quodq. alij inſignes ante fuere Duces,
Qui modo nauali bello moribundus in hoſtes
Luce dedit nobis commodiore frui,
Inde ſacri Vates certatim fortia geſta,
Et reddant clarum nomen ad aſtra ſuum,
Helleſpontiacis nec tantum hæc hoſtis in oris
Sed Perſa Eois noſcat & Indus aquis.
Dumq. polo cernit ſuperata e Claſſe Tyranno
Signiferos captos, exanimeſq. uiros,

Gaudeat

Gaudeat Adriacæ quòd ſurgat gloria gentis
Clauus effulgens ſanguine picta ſuo.

Io. Pyrgitello Vtinensis.

Diſticon.

IN OBITVM PRÆCLARISSIMI Barbadici.

Barbadicum mirata, truci cũ traderet hoſti.
Quid reuocare nequit, mors, decus ingemuit.

Aliud.

Haec cõiuncta breui teſtẽtur ſcripta ſepulchro,
Fata fuiſſe hominis, grandia facta Dei.

Perſidus agminibus, terràq., mariq. coactis
Sæuit, ut & Venetos, perdat & Auſonidas,
At ſibi perfidiæ pœnas inducit, iniquo
Milite conſertas dum uorat unda rates,
Hos Pius, atque Leo, certatim & fortis Iberus
Vrgent; inuictæ fœdus amicitiæ.

THESEVS SALA
VTINENSIS.

De Præclariſſimo Barbadico.

VICTIMA, Victor, honos, reſerauit, perdidit, auxit,
Cælum, Thraces, Vrbem, ſanguine, morte, trophæis,

Io.Baptiſtę Marchetani.

Aequoreas ſpecie immani, formaq.ſecabat
Vndas horrendus, terribiliſq. Draco,
Miratus monſtrum pelagi Rex territus, inquit.
Iuppiter Omnipotens æquore pelle feram;
Bellatrix Aquila, indomitus iuſſuq. Tonantis
Mox Leo decurrunt, dilacerantq. feram,
Ergo Aquilæ pelagi telluris ſitq. Leoni
Imperium pariter, cedat & ipſe Draco.

NICOLAVS MACHEROPIVS.
DE ROSIS AVTVMNALIBVS.

VNDE roſas Venetis alieno tempore apricas
Spōte per Autumnū picta remittit humus?
Has nō Flora parit, nec Cypro mæſta relicto
Nempe ſuo in luctu, donat habere Venus.

Barbadicus

Barbadicus Claſſis Ductor Mars alter in alto
Occidit, & moriens prima trophæa tulit,
Dumq. pios Ciues ſolium Iouis ante recenſet
Ex acie, ſparſos arma cruore ſacro,
Angelicæq. manus detergunt ſanguinis undas,
Parq. abit in nubes, quas rutilare uides,
Pars delapſa ſolo Adriacis collecta Napæis
Perfudit niueos rore, & odore ſinus;
Scilicet hic ſanguis luctus ſolamen acerbi,
Fit roſa, quæ Venetum nata cruore rubet.

INCERTI.

De Praeclariſſimo Avgvstino Barbadico In Pugna nauali occiſo.

Magne heros factis Auguſto, et nomine magno
Aemule, ſat dignus quis reperitur honos?
Si tibi pro cæſis, & captis hoſtibus alte
Aerea ponatur nunc ſtatua una, parū eſt.
Ergo quid? ut ſeruata tuo Vrbs ſit ſanguine grata,
Ponantur Statuæ plurimæ, & elogia.

VALENTINVS ODORICEVS.

DE FELICI VICTORIA A CHRISTIANIS BELLO NAVALI Contra Turcas parta.

QVi claſſem auratis cernis procedere roſtris
Pandentem Ionio carbaſa læta mari:
Qui dites ſpectas prædas, arcuſq. retentos,
Subditaq. inſolito colla ſuperba iugo:
Hæ ſunt uictrices Aegæo egurgite puppes,
Pugnando æternum quæ meruere decus.
Hæc ſunt Barbarico collecta ex hoſte trophæa:
Hæc clara Auſtriaci ſint monimenta Ducis,
Turcarum nomen latum qui merſit in æquor,
Diſijciens timidas per freta cæca rates.
Eous Scythica impulſus feritate Tyrannus
Ceperat Idaliæ florida regna Deæ.
Hinc etiam Heſperias tumidus ſperare ruinas
Auſus, & Adriacum tangere puppe ſalum,
Cum Dux Hiſpana ueniens, ut fulmen, ab ora
Per medium ſocia claſſe iuuante fretum,
Aeratis properat roſtris, Turcæq. triremes
Diſſipat, & latas ſanguine tingit aquas.
Non tamen hic Veneti merito fraudentur honore,
Obſtructas auſi rumpere puppe uias.

Qui inſignem optantes per mille pericula mortem
Non ſibi, ſed Patriæ conſuluere ſuæ.
Tollitur in primis præclari ad ſydera uirtus
Barbadica, aduerſo dum parat hoſte mori,
Qui ſibi cæleſtes proponens mente triumphos
Pro Patria, atque ſuo concidit ille Deo.
Fertur enim cara digreſſus coniuge Chriſtum
Complectens ſumma in puppe locaſſe Crucem;
Qua Duce & hoſtilem poſſet perrumpere claſſem;
Qua Duce ad æthereas uictor abire domos.
Felix, qui tantum ſeruauit morte ſenatum,
Felix, qui moriens publica uita fuit,
Antiquos habeat Codros, Decioſq. uetuſtas,
Atq. alios, quorum nomina fama canit:
Dum Venetus tali lætetur ſemine, cuius
Non poterit laudes ulla abolere dies.
Cur inhonoratus tamen hic mihi linquitur heros;
Qui cunctis alijs anteferendus erat.
Qui clarus Veneris cenſetur nomine, factis
In pugna at proprijs clarior ipſe fuit.
Hic uir, hic eſt, cana, qui, non tardante ſenecta,
Fert alijs, fuerat qua ipſe iuuandus ope.
Hic eſt, uictorem qui aliena è puppe fugando
In medias Turcam præcipitauit aquas,
Qualem Perſarum quingenta in millia regem
Spartanum è caſtris fortiter iſſe ferunt,
Cæſorum pugnans qui ingentes inter aceruos
Obruit innumeris ſe ipſe cadaueribus.
Hic quoq. Romulidæ memores ſe Marte creatos,
Maxima

Maxima uirtutis ſigna dedere ſuæ,
O quam pænituit ſoluiſſe à litore Turcas,
Quam uellent Paphiæ non nocuiſſe Deæ,
Namq. ruens puppis metuendus mole Columna
Hinc, inde abruptas intonat inter aquas.
Vndiq. fatifero terrorem & fulminat enſe
Horrenda trugens æquora lata nece.
Vt Numidum in ſylua catulis orbata leæna
In medios hoſtes, in media arma ruit,
Fertur in aduerſas metuendæ cuſpidis haſtas,
Fertur in aduerſos ſanguinolenta uiros.
Haud aliter Dux iſte, alacres ſocijq. ſequuntur,
Hoſtili gaudens ſanguine quiq. madet.
Hos igitur merito uates decoretis honore,
Otia uulneribus qui peperere ſuis.
Fortiaq. ut recolant uenientes facta nepotes,
Carminibus tantos tollite ad aſtra uiros.

INCERTI EΠΙΝΙΚΙΟΝ.

AD IOANNEM AVSTRIACVM, DORIS.

TE flos ſemideûm Auſtriacæ lux inclyta gentis,
Magniq. proles CAROLI *non degener,*
Dum uada Tyrrheni ſulcas maris, & prope
Neapolis de puppe ſpectas mœnia, (lenta
Nereides placido mirantur ab æquore Nymphæ,

Tibiq. fata præcinunt felicia.
Ibis, ait, uentura cui cognoſcere, Doris
Non denegatum eſt cæteris formoſior,
Ibis ò Heſperiæ ſpes magna utriuſque, fauente
Et aura, & unda, & lucidis cæli ignibus,
Ibis in Ionias oras, hoſtiſq. ſuperbam
Victrice claſſe conteres claſſem feri.
Non dare terga illi, non iam dare uela retrorſum
Licebit, ut te fulminantem ſenſerit:
Sed turpi dare colla iugo, ſed tendere uictas
Videbis armis ſupplicem abiectis manus.
Impius excelſi contemptor numinis ille eſt,
Et Chriſtiani æternus hoſtis nominis:
Quin etiam cane fidei uiolator iniquus,
Sanctiq. ruptor fœderis nuper fuit,
Ergo illi infenſum rapidis mare fluctibus, ætherq.
Erit, coruſcis ignibus deſæuiens,
Spretaq. pugnabunt pro te pia numina, pœnas
Vt debitas Tyrannus impotens luat.
Tu uexilla, PIVS quæ dat tibi maximus Heros
Expande ſacro tincta Chriſti ſanguine,
Inſtructaq. hoſtem fortis pete claſſe, moras iam
Rumpe ecce lenis aura complet carbaſa,
Nos quoque Nereides ſi quid per cærula Nerei
Iuuare poſſunt regna concauas rates,
Vſque tibi coniunctæ erimus, dextriſq. carinæ
Leues agentur ocyus, noſtris tuæ.
Quare age rumpe moras omnes, ne quære potentem
Augere claſſem acceſſione puppium.

Namque

Namque aderit Deus ipſe tibi, quo ſæpe iuuante
Vnum fugaſſe mille nouimus uiros.
Quin PIVS *ipſe aderit comes, & dux fidus ab ortu*
Ad ultimum uſque ſolis occaſum tibi.
Cùm uarios operit rerum nox atra colores,
Et cum nouo fugata cedit lumini.
Ille quidem Vaticani nunc incolit arces,
Sed proxima te mente ſemper aſpicit,
Te ſequitur, tibi quam potis eſt afferre, fidelis
Affert opem, quam ne tamen leuem putes,
Nam precibus ſummum ſcandit ſuper æthera ſupplex
Et uſque ad ora maximi fertur Dei.
Hunc rogat aſſiduus, hunc obteſtatur, & urget,
Hunc cogit, ut furoris oblitus ſui
Aſpiciat miſeram placido iam lumine gentem
Quam propria ipſe condidit pater manu,
Quam natus deinde æthereo demiſſus olympo
Redemit atræ fixus innocens cruci:
Hactenus aduerſo pugnatum eſt Marte, quòd ipſe
Auerſus eſſet, æſtuante percitus
Omnipotens ira Deus, ingentiq. furore
Gentis ſuæ delicta propter impia.
At iam placato cæleſti numine, rebus
Tu nunc ſecundis utere ò Dux maxime,
I, fœlix, & ſigna refer uictricia, iam te
Manebat unum iure tanta gloria,
Ecce tibi iam præcelſa Victoria puppi
Applaudit, & triumpho honorat te nouo,
Iamq. grauem præda, ſignisq. ex hoſte receptis

Intrare cerno Tybridis te in Oſtia,
Victoremq. ſacra redimitum tempora lauro
Romæ ſubire Mœnia alta Martiæ,
Nunc, dũ audis crepitare auras, dumq. æquore põtus
Subſidit, & benignus annuit Deus,
Ne portu, ne ſiſte diu, nec pulchra ſuperbis
Vrbs te moretur ocioſum machinis,
Altera ſed poſtquàm primo conſurget eoo
Optata lux ſplendore fulgens aureo,
Litora tu linque, & uolitantia uela relaxa
Citiſq. latum ſinde puppibus mare.

AD IOANNEM AVSTRIACVM, OB TVRCAS NAVPACTAEO Prœlio ſuperatos, Doris.

VIRTVTE macte iuuenis illuſtris noua,
Spes utriuſque nouumq. Heſperiæ columẽ,
Saluere te iubemus omnes cærulei
Dijq. Deæq. imo gurgite de pelagi,
Obtemperare iam tibi Tridentifer
Oceani Rex non abnuit ipſe potens.
Ego illa ſum, quæ pulchra propter mœnia
Partenopes cecini candida fata tibi,
Nunc maximi ad te uenio Regis nuncia
Qui tibi concedit regna ſuperba maris,

Tu iura poſthac æquori uaſto dabis,
Ventorum & iuſſis effera turba tuis
Parebit inde, nec procella uis grauis
Irrita iam poterit reddere uota tua,
Hiems nec acris, nec quod inuias prius
Cumque ſolebat aquas reddere nauifragas.
Erit ſed hoc non gloriæ ſatis tuæ,
Nam maiora tuis aſpicio meritis
Parata, terris ſcilicet Regnum patens,
Quà ſol Eoo ſurgit ab Oceano,
Et quà rigentem ſemper urſa agit hiemem,
Claraq. cæleſtis plauſtra bubulcus agit.
Nunc perge fœlix, en tuo Victoria
Coniuncta eſt lateri, te Deus ipſe uocat.
Qui cùm Tyrannum cogitaret impium
Turcarum iuſto ſubijcere imperio,
Thracaſq. ſæuos, impotentes & Scythas
Conterere, & Tigrim, qui Tanaimq. bibunt,
Iis reſtituta quò uigeret in locis
Alma fides, nati Relligioq. ſui,
Te elegit unum gloriæ tantæ parem,
Virttue, & ueræ laudis amore parem.
Qui dextera uibrante non minus potens
Ardenti pectus quàm pietate flagrans,
Quæcunque pridem is mente ſtatuerat ſua
Auderes, ualida perficereſq. manu,
Fœliciuſq. ut tanta ſuccedant tibi
Facta, tuo fortem dat lateri comitem,
Magna COLVMNAM firmitate, quam Noti,

Et Boreæ rabies nulla mouere poteſt,
Quam nimbus ater non ſagittarum, impetu
Non tormenta feris fulminibus paria,
Humi hactenus deijcere potuerunt, neque
Lædere, dum pugnas ſuſtinet illa graues,
Innixus hinc quæ dura non fortis feras?
Quæue aduerſa alto non ſuperes animo?
Tanto ut fuiſti comite tu dignus ſatis
Sic fuerat tanto dignus & ille Duce.
Ergo ò beate perge Dux, quò ſidera
Læta uocant, quò te laudis amor patriæ
Inuitat. Eia pone tibi nocte, & die
Cæſaris ante oculos maxima facta patris,
Inuictus ille finibus auiti imperi
Addidit ignotos iam penitus populos,
Et tranſiens metam Herculis potuit ſibi
Orbem uictrici ſubdere claſſe nouum,
Quà ſol recondit occidens aquis caput,
[illegible]aq. alter ſplendet altero in orbe polus.
Amiſſa ſed tu læta regna iam diù
Eripies duro uictor ab imperio,
Terramq. quam Iordanis amnis irrigat
Sancta loca & Domini tincta cruore tui.
Per te reſurget almæ ibi Chriſti fides
Iam pridem extincta, & priſca ibi Relligio,
Quaq. aureum ſol exerit oriens caput,
Quaq. ſub Arcturo frigida bruma riget,
Vno ore Chriſti nomen & numen colent,
Atq. dabunt ſacris thura Sabæa focis,

Matres,

Matres, puellæ, atque pueri, & uiri, & ſenes,
Auſtriacumq. ſimul nomen ad aſtra ferent,
Non fabuloſa nunc tibi prædicere
Dorim crede tuam, quam modo ueridicam
Expertus es, fauſtaq. iam tende alite
Hoſtiles gladio abſumere reliquias.
Eſt allocuta talibus pulcherrima
Nereidúmiuuenem ſanguine adhuc madidum,
Dum puppibus rediret & ferro, & mari
Tercentum abſumptis, ſulfureaq. face,
Dux maximus, ſpolijſq. opimis iam grauis,
Et Marti ſimilis, cum magis ille furit,
Sudorem utroque & defluentem tempore
Siccare haud propria deſtitit ipſa manu.
Sic uincitur, deinde ſubdens, ò Deum
Cura, iter hac certum ſidera ad alta patet.

EIVSDEM.

IN M. ANTONIVM COLVMNAM.

QVa paribus quōdā pugnans Antonius armis
Terga fugæ infauſto captus amore dedit,
Hac nouus in paribus certans Antonius ar-
Nobile præſidiū, Romulidūq. decus (mis
Diripit Iſmarias uictrici claſſe carinas
Hoſteq. deuicto magna trophæa refert,
Coniugis auſpicio fretus, precibuſq. ſupremo

Quas

Quas illa aſſiduo fudit ab ore patri,
Ingentemq. onerat ſpolijs, decoratq. Columnam,
Quam ſtabilem à patrijs ipſe recepit auis,
Vt caræ ſic ornatam Felicis ad ora
Virtutis ſtatuat pignora certa ſuæ,
Cuius & auſpicijs hoſtem, precibuſq. ſubegit,
Ipſam etiam prædæ participem faciat.
Felices ambò, tu Martem uincere dextra,
Illa pijs uotis flectere fata poteſt.

AD EVNDEM.

QVa paribus quondam pugnans Antonius armis
Terga fugæ infauſto captus amore dedit,
Hac nouus imparibus certans Antonius armis
Felicis fauſto coniugis auſpicio
Fortis init pugnam, & uictrici claſſe ſuperbas
Diripiens puppes ampla trophæa refert,
Et facit ut claris iam Naupactæa triumphis
Actiacum obſcuret pugna ſuperba decus.

TRO-

TROPHÆVM SACRÆ CLASSIS AD MAXIMILIANVM II.

Maximiliane decus ſceptri, quæ hæc parta Trophæa?
Iunges Herculeas, Mygdoniaſq. plagas?
Candida Pax ſub te, Concordia, Relligioq.
Ocia, Libertas, nil renuentq. poli.

NAVALI *Triumpho ex Turcis relato, extincto Pelagi metu, purgatis maleficio Thraciæ, Peloponnenſi, Dalmatiæ, Ionij, Eperiq. ſinus oris, Rhio, Anthirrio, Hexamilij impedimento, Africæ litoribus, infero tractu ad Herculis uſque fauces, et Athlanticas Gades ſecuris. Scyllæ Charybdiſq. rabie, breuibuſq. placatis, Cycladum, Seſti & Abydi, Phryxeiſq. obicibus infractis, Byzantio & Mecha trepidātibus, inaudita fortitudine, celeritate quatuor horarū* CCCXXX. *nau. claſſe ſuperata, lōgis, roſtratiſq. ad* CLX. *remulcro abactis, Cetheis, Lyburnicis, Lēbuliſq. innumeris diſiectis, ſuppreſſiſq., q̄ loca Baiazetes ante* LXXIV. *annos eripuerat, ad Naupacti anguſtias, pro Halcyonum, receptibus Ithacæq. Auſtrijs præcipue Hadriaciſq. Cæruleo Neptuno factis. Sole pr. Kal.* IIXbr. *eiuſdemq. nonis, qui bus acerrime pro Chriſti negotio ſuit depugnatum, ferrugine ſua Othomanno infeſto, diraq. eiuſdē capiti Phœbe iam inhi-*

inhibente: Menſe quo Hebræis olim ſcenopegia, nobis ocij tecta ſunt conceſſa: gaudio uniuerſe cumulato, Pānonijs terrore ſubleuatis, prorſus liberis alijs, cunctorum animis ad pileum excitis. XV. *M. Chriſtianorum mancipio ſolutis, bis totidem hoſtibus cæſis, V. Mil. captiuis, Periperi cum* XX. *longis in Cypro latitante, alijs aliquot nunquā inſtructis. Interni Maris litoribus utrinque ſpolijs applaudētibus ſummo Bertau necato, Aba lio incerto; pyratis confectis, illius filijs cum Aegei inſularum omnibus pæne præfectis ſeruituti illigatis, Oczalio, Argirenſe cum paucis Speculatorijs, linteolisq́. prœlij ſpectatore nondum elapſo, Neritide obſeſſa: omnium ſpei, Marti non Gradiuo, ſectori celeri, uictoriæ perpetuę, memorię interminatæ* VI. *Kal. Nouēb. idem nuncijs confirmantibus. S. M. Quæ iſtæ uices diuinæ? Aquila Heſperia cum Leone perpetuo à Stella & Luna ſolliciti, ſubito Sol facti, periculum omne ad Caſpios, & Aſiam redigunt?*

ALIVD.

VBi es peſtis Eoa? ubi rabies Afra? ubi iam eris infandum nefas? Parum abfuit, quin nos belua uorares, luctu & funere omnia compleres. Sed uiuunt Aquilę hepar depaſtæ, uiuit Leo, qui te uoret: tua iaces ui. Diſce Deos irritare, libertatem attentare, quam ipſe amittis, nobis reddere.

ALIVD.

ALIVD.

I. S. R. V. M. C. M. S. Q. R. S. G. E. I. D. A. Aq. R. M. P. C. S. O. Q. C. V. Mil. Mult. Vul. Rem.

IOui Soſpiti, Religioni Vindici; Marti Celeri, Memoriæ Sempiternæ. Quod Repub. Strenue Geſta, Exuto Iugo, Domita Aſia, Africæq. Rammuſia. Mari Pacato, Claſſe Sublata, Omnibus Quies Conſtituatur. Votis Mil: Multis Vulgo Remiſſis.

DE EADEM VICTORIA.

HOc eſt ſubſidium Vindicis integri,
Qui cælum potuit, cunctaq. uerbulo
Mortis condere, qui millia tot canum
Merſurus, ſubito pectora Barbari
Concuſſit, precibus propitius fuit.
Ecquis diuitias connumerauerit,
Partas litoribus, regnaq. conſcia?
Quis naues laceras gurgite Nerei,
Preſſas, tot meminit cæſa cadauera?
Pax orbi, & requies, aurea ſæcula
Redduntur, nec erit quod noceat graue,
Sectis religio, cultibus impijs
Exiſtet propriam diſcere, non litam
Fuco cuilibet en fas erit, & licet.

Concors ſubſequitur pectus, & omnibus,
Idem ſenſus erit, diſſimili exule.
Sit laus perpetuo talia qui dedit,
Sit laus perpetuo plurima qui dabit,
Sit laus perpetuo tam cito qui iugum
Excuſit, rabiem & perdidit æquore.

ALIVD.

BRuma, minæ, ſcopuli dum nos terrore fatigant,
Exhauſtis ſubito tanta trophæa luunt?
Nempe diu Ionij metuere Euxina pericla,
His monumento illi fata ſuprema uehunt.

ALIVD.

IRa, furor, ſcelus, inſidiæ, fraus, bella, ruinæ,
Barbaries, cædes occubuere freto:
Pax, Virtus, Candor, Spes, Vnio, liber amorq.,
Gaudia cum Muſis exiluere freto.
Nunc nos conſenſus Chriſti coniungat, amorq.
Pax ſit rure, domi: mellificemus apes.

ALIVD.

TVrbati coeunt nuper Delphines in antro,
Atque Tridentinam ſæpe quæruntur opem.
Impexam Nereus barbam uix commouet, ecce
Ter centum Gethicas diſiicit ille rates.
Naupacti inſidias tollit, uim pellit & ira,
Halcyonum infeſtos merſit, agitq. ſinu.

Ad

Ad cæſos ibidem Chriſtianos.

DIi Maris Interni, cæſi pro nomine Chriſti,
Augete hos animos, & cumulate decus.
Nec uos pœniteat fugitiuæ gaudia uitæ,
Dulcibus exuuijs reſtituiſſe Polo.
Scylleas fauces, & auaros Phorcyos æſtus,
Sanguine diluto nunc ſatiatis oues.
Vos manet æternum nomen, laudeſq. per aras,
Grande iugum ſalſis rite abluiſtis aquis.

AD INVIDVM.

NEreaſi Venetis, Neptunia ſceptraq. Iberis,
Litora Graiorum uelle ſubeſſe neges:
Deletam claſſem, tot millia cæſa Getharum
Enumera, quid te fallat, inique, ſcies.

ΙΩΑΝΝΗ ΑΥΣΤΡΙΩ.

Ἀμαλθείου εἶδος.

στροφή.

ΚΗΔΙΜΩΝ Εὔκλεια καλὸν φάος ἄθλων
σὰν ἐς αὐγὰν ἐκ πολέμου δέχεο
Καίσαρος παῖδ' ἀντιθέου.
ὃν δὴ ἀγλαοῖς ἐν ἀγκώνεσσιν ἐνηιοχευίκα,
Θραξὶ δεινὰς ναυμαχήσαντ' ὑπὲρ
κόλπους Ἐχινάδων, ἐπὶ Θρινακίας.

ἀντιστροφή.

ἀντιςροφή.

πιςὶν ὅρμον. πῖε δὲ νέκταρος ἀώ-
δεις γλυκείας ἐκ κύλικος λιβάδας
ἄρτι κιρνωσᾶν χαρίτων.
ἀγλαΐζεται δ' ἀεὶ κῦδος μετὰ κύκλον ἀέθλων
ἠλιειδές, καὶ χρόνον μυρίον
ἀνθεῖ. πόνοι γὰρ αὖχεος ἐντὶ τροφοί.

ἐπῳδός.

ᾤχετο δ' Ἰονίας περάων θαλάσσας
κύματα, καὶ πολὺν ἴθυνε ςόλον
ἱερόν, οἷος ἔπλευσ' Αἰσονίδας
Κολχίδος χρυσαυγῆ ἐς πόλιν μολών.
ἔνθ' ἀριςεύων θεοςυγεῖ ταχὺ
ἔμβαλε ςρατῷ μόρον.
γηγενέων δὲ θανόντων, ὡς δράκονθ' ὕπνος δάμε,
χρύσεον εἶθαρ κῶας εἷλε.
καὐτᾶ δ' ὁ πλόος φαεινοῖς
ἐν ἄςροις λάμπει Ἀργώ.

SEBASTIANI SAN LEONINI.

VIderat claram Venus alma Cyprum,
Iam ſui ſedem, columenq. Templi,
Barbaro euerſam miſere duello.
Federe Parthis.
Viderat ſtratas uiolenter urbes,
Ac ſolo æquatas, Paphios fideq.

Punica

Punica captos medias per aras
Vulnere cæſos.
Viderat tum deditione capta
Mœnia Auguſti celebrata fama,
Impie rumpi data deditiſq.
Iura fidemq.:
Italos fortes, animæq. magnæ
Prodigum Haſtorrem cadere inter ipſas
Fœderis ſcripti tabulas, (Getorum.
Nobile probrum)
Neſcios fari pueroſq. matrum
Conditos aluo patuiſſe telis,
Nec Scythas prædæ cupidos litatis
Parcere templis.
Viderat tandem Cytheræa claſſem
Thraciam Cypri ſpolijs onuſtam
Thracium uerſus dare uela portum, ac
Ferre triumphos.
Indolens tantas fieri rapinas,
Sanguinis tantum pelago, atque campis
Cypricis fuſum, reuehiq. ſontes.
Aequore lætos.
Diua ſic Martem alloquitur, Iouemq.:
Ergo uaſtari mea regna ferro
Barbaro cernam? mea templa flammis
Vſta uidebo,
Filia inuicti Iouis, atque fœlix
Martis amplexu mihi amati inulta?
Ergo ad externos mea dona Diuos

Rapta ferentur.
Prorſus impune? ò Pater alma, dextræ
Qui ſuæ quondam temere rebelles,
Liberos terræ, Enceladum, ac Tiphæum.
Fulmine terres:
Quid reos differs ſceleris ſuperbos
Tam diu ultrici lacerare telo?
Quid uel illiſas ſcopulis carinas.
Mergere ceſſas?
Sæpe iuratus Stygias per undas
Omnem ab Aenea ſobolem futuram
Inclytam regnis, Dominamq. dixti in
Sæcula Romam.
Scilicet Chalcis, Rhodos, & Mycenæ,
Argos, & Cyprus, reliquæq. captæ
Inſulæ noſtros ſuper alta tollunt
Aſtra nepotes?
Heu quod Aeneæ timui, ſuiſq.,
Poſteris cogor timuiſſe; Cypro
Perdita, amittet tua clara nutrix
Oppida centum.
Sæuus & Cyclops, Phalariſq. rurſus
Arua fœcundæ rapient Triquetræ,
Et ſacram Paulo Melitera, Latini &
Litoris oram.
Maximus gentis, quibus occupatis,
Italæ ſplendor, Venetus Senatus
Terga uictori dabit heu Tyranno,
Romaq. cedet.

Vnde

Vnde Carthago ueteres ruinas
Altius tollat: ſua dicta Pater
Nunquid inconſtans reuocas, locoq.
Fata reuellis?

Tuq. nil noſtri memor inter arma
Hoſtium, contra Venerem ſtetiſti?
Iſtud amplexus meruere dulces
Perfide Mauors?

Iuppiter membra Ioue me eſſe natam,
Te nec ingratum Veneri Gradiue:
Quis meas iuſtos alias honores
Ponet ad aras?

Tum Deæ frontem Pater oſculatus,
Mitte ſingultus, ait, & timorem;
Permanent immota Lupæ, & marino
Fata Leoni.

Amboq. æterna ditione terras,
Et maris tractus Domini tenebunt
Hoſte deleto, & populis remotis
Sub iuga miſſis.

Nec tuam poſthac premet ulla Cyprum
Seruitus, ultra neque uictor hoſtis
Inſolens puppi, ueluti triumphans,
Cærula uerret.

Iſmari Syluis male cæſa pinus,
Aleſe infauſta religata portu
Quàm breui reddet male rapta, fiet
Prædaq. uictis.

Qua Dioneus tuus ante Cæſar

Exteris Marcum ratibus potentem
Actium ad litus, Dominamq. Nili.
Claſſe ſubegit:
Nunc ea uictrix inimica puppis
Nauigans, triſti uice uela, remos
Victa concedet; manet hic ſupremus
Exitus illam.
Qui, tuus longa à ſerie Nepotum
Pronepos, capta Elyberi, & reducta
Fratris ad iuſtum impium Philippi,
Sceptraq. priſca:
Alta Neptuni uada glorioſus,
Fœderis ſacri, ſociæq. claſſis
Maximus Ductor ſecat, & feroces
Fertur in hoſtes.
Ceu Leo, ablatos catulos repoſcens,
Nec prius ſiſtens, Numidam rapacem
Vngue quàm perdat, uacuiſq. natos
Ponat in antris:
Tinget hoſtili pelagus cruore,
Auferet prædam, miſeriſq. captos
Exuet uinclis, inimica nectet.
Colla cathenis.
Partis aduerſæ ratibuſq. ad unam
Omnibus captis, domitiſq. Parthis,
Clade Naupactum faciet ſecunda.
Nobilem in æuum.
Mars ad hæc. Dictis animum paternis
Diua confirmes, aderitq. præſens,

Quæ tuos nunquam mea læſit, olli
Dextera pugnæ.
Nec mora, inuectus Siculis ab undis
Attigit uentis Ithacam ſecundis,
Factus Eois propior carinis
Impetit hoſtem.
Præferocem armis, tumidum recenti
Strage noſtrorum, uel ea ualentem
Claſſe, qua nemo maria expilauit
Archipirata.
Fulminiſq. inſtar ferit, urget, urit,
Inclytus bello Auſtriacus Ioannes,
Sanguis Auguſtus, Caroliq. magni
Vera propago.
Hunc duces, naues modo mergit undis,
Sternit obſtantes gladio phalanges,
Seq. dedentes, ueniam & petentes
Compede donat.
Quæ prius Thraci fuerat ſecunda,
Flatibus uerſis fauet aura noſtris
Carbaſis, iuſtis (Quis io negabit?)
Militat Aether.
Fulgido circum caput ære uinctus,
Proximus primoq. Duci Columna
Diripit naues, cumulatq. cædes
Enſe tremendus.
Magnus ardenti comes it Columuæ
Paulus, Vrſinæ columenq. gentis,
Ambo Romani proceres, duoq.

 Fulmina

Fulmina belli.

Cæteri heroes Itali, atque Hiberi
Conferunt dextras, ſubeuntq. pugnæ
Pro fide Chriſti, Patriaq. prompti
Fata ſubire:

Aurius pugnax, Crucianus Heros,
Sfortiæ fratres, ualidus Tiphernas,
Corneus fortis, Venetæq. claſſis
Barbaricus Dux.

Parmæ & Vrbini generoſa fulget
Principum uirtus; Melitæa pubes
Perditi iam relliquias Dracutis
Perdit in undis.

Fratre cum Paulo Michael Bonellus
Strenuus primas gerit; inter omnes
Emicat Diui Stephani, atque Magni
Miles Etruſci.

Robore inuicti Auſtriaciq. Martis
Sanguine hoſtili rubicunda cernas
Aequora, hoſtiles uideas natantes
Aequore truncos.

Parthicam claſſem ſpatio uel horæ
Stare captiuam uideas, Getaſq.
Ante uictorem cecidiſſe, uictos
Atque reuinctos.

Vnde naualem capite coronam
Roma uictore legat, ipſa nexet
Adrij Regina maris, feratq.
Frater Hiberus.

Totaq.

Totaq. Europæ benegrata ſacras
Erigat ſaxo ſtatuas, uel ære,
Maximas uireſq. potens in unum
Colligat ultro.
Maximus, iunctis quibus, Otthomanos
Hunc mari uictos, ſubigatq. terris,
Numen & Chriſti redigat colentes
Auſtrius heros.
Tum Pius Quintus, modo ſacra cuius
Arma diuino monitu geruntur,
Viuat, & longum rigat unus unum
Paſtor ouile

CHRISTIANORVM NAVALI CONFLICTV ad Naupactum defunctorum Tumulus.

Illuſtres animæ, Actiaca queis clade ſecūda
Pro patria et Chriſto corpora merſa iacēt,
Flebilis haud obit⁹ ueſter, nec funere dign⁹
Funera ſeu ſi ſint, nec lacrymāda tamen.
Pro patria extinctos præſentat gloria uiuos,
Defuncti Chriſto nullum obiere diem.
Nec certe mors eſt, qua uobis uita paratur
Aeterna, æternoſq. itur ad ſuperos.
Nulla necis tumulo ueſtræ, ſed cauſa ſalutis
Sculpatur, cælos Actia pugna dedit.
Saluete indigetes, cæliq. e parte beata

Vnanimi ſummum uoce rogate Deum:
Victricem ut claſſem, ſocialiaq. arma ſecundet,
Det toto palmas uicto Oriente nouas.
Sentiat & Selymus terraq. mariq. ſubactus
Auſtriacos faſces, imperiumq. Pij.

Eorundem alius Tumulus.

AVrea marmoreæ Victoria nexa Columnæ
Cincta comas lauro, prætēdēs pollice palmā
Pro tumulo erecta eſt uobis, qui fortiter uſi
Enſe, ferum Thracem Ambracijs uiciſtis in undis.

ANTONII ORITHEI.

GRATA, quæ nullas Erato tenebras
Tempore offundi pateris uirorum
Fortium geſtis, age nunc ſonoro
Concine plectro
Cæſaris magni genitum, ut per ora
Omnium uictor uolitet, per æuum
Omne, qua magnas obit Amphitrite
Aequore terras.
Dic ut ingentem Latio minantem
Fuderit claſſem, populoſq. magna
Soluerit cura, quibus imminebat
Barbarus hoſtis.
Nam memor quis non timuit malorum?

Cum tot heu nuper populis ſubactis,
Cyprio regnô Venetiſq. pulſis
Fœdere rupto,
Claſſe uictrici penitus repoſtas
Africæ immanes Aſiæq. gentes
Hadriæ late populare lætas
Cerneret oras?
Rebus & longe trepidis, remotis
Auſtrius Calpes celer uſque ab undis
Obuius, fidens animi, citata
Claſſe cucurrit.
Nulla certantes truculenta diri
Terruit Martis facies, cadente
Hinc pila flammis ſonitus ciente
Fulminis inſtar,
Hinc manu iactis celeris ſagittis,
Hinc globis late, grauiterq. olentis
Sulphuris, nigræ picis, atq. flammæ
Cuncta uorantis.
Sed nihil præſens trepidare Ieſu
Auſtrius præfert duce, militemq.
Viget, & ſedes alacer beatas
Præmia ponit.
Milles hoc tandem duce fretus hoſtes
Vicit, & late Pelopis rubentes
Barbara cæde obſtupuere Ponti.
Dorides undas,
Quàm bene afflictis Pater alme rebus,
Qui uices Chriſti geris unus omnes,

Vltimæ & Rex Heſperiæ, Hadriæq.
Magne ſenatus.
Italis uos conſuluiſtis oris,
Auſtrio in claſſes, acieſq. ſummum
Imperi ius cum tribuiſtis almo
Cæſare nato.
Hoc duce exactis temere ſoluti
Fœderis pœnis, celebri peracto
Prælio, noſtris procul arcuiſti
Manibus hoſtem,
Et feræ gentis rabie repulſa,
Omnibus lætam populis ſalutem
Iam metu diro exanimis tuliſtis
Fœdere iuncti.
Barbarus uos iam trepidus timebit,
Nec ſuæ audebit ditionis oris,
Egredi, & noſtros maleſanus armis
Tangere fines.
Mox fero pulſus ſolio ſuperbæ
Thraciæ, ueſtris cumulum triumphis
Addet, & terras male tutus omnes
Linquet auitas.

EIVSDEM.
AD PIVM V. PONT. MAXIMVM
ANNO VII. PONTIFICATVS.

S*ANCTE pater dum frena tenes, dũ proſpicis orbi*
Et ſacri fines protegis Imperij;

Et

Et tibi ſubiectis utroq. à uertice terris
Clara coronatis famà triumphat equis:
Septies aſtra tibi Phœbus duodene pererrans
Læuis ab Eois emicat æquoribus.
Ambroſias ò læta dapes tibi porrigat Hebe,
Mixtaq. cæleſti pocula ſancta manu;
Vt uiuas pater alme diu, quo ſoſpite tellus
Iam ſatis edidicit ſe benè poſſe regi.

BERNARDINI CAPITANII.

QVEM tu beato Iuppiter æthere
Bellantem amico lumine reſpicis
Hunc non procellis creber Auſter,
Non Aquilo, pelagúſq. terret.
Non terret ater turbinis impetus,
Non claſſis audax, non tumidæ minæ,
Non clamor, aut Parthus ſagittis
Cum celeri metuendus arcu.
Sed ſeruat æquor, ſed regit Aeolus,
Quò cædat amplis uſq. laboribus
Hoſtem ſuperbum, quoq. ſubdat
Colla iugo populi ferocis.
Quid debeas ò Cælitibus ratis
Inuicta, aquarum maximus Arbiter
Teſtis, Ducum qui cœpta duci
Bellaq. coniugibus tremenda.

Deſideratus

Deſideratos cernit ad exitus:
Et qui phalanges aſpicit hoſtium
Cæſas, & abreptas triremes
Sub pelagi uada cæca merſas.
Iam non Geloni gentibus inferent
Metum ſagittis; occidit, occidit
Gens trux, & armis omnis audax
Dux periјt medijs in undis.
Nec iam minaces, & gelidi Scythæ
Impune tergunt lucida ſpicula:
Impune bellum, impunè cladem
Auſoniæ haud populis minantur.
O qui benigno numine nos pius
Defendis agros Cælicolum Pater,
Præſens pharetratis Eois
Atq. Getis profugis timeri:
Quòd tàm furentes militia uiri,
Quòd tàm potentes conciderint Duces,
Totum tuum eſt; ò qui ruinis
Mittis opem ſuperis ab oris.

HORATII RIGALACCII.

NON ſemper altis fluctibus inſonant
Turbata uentis æquora turgidis,
Aut ſemper inuiſa colonis
Grandine percutiuntur agri.

Fortuna

Fortuna nunquam non uariabilis
Haud ſemper uni proſpiciens fauet;
Sed mutat imprudens honores,
Nunc tibi, nunc aliјs benigna,
Nec. ira Diuum ſæuit in impios
Aeternum, & omni tempore fulminat
Nocentium pœnas repoſcens
Dextra Iouis temeranda nulli.
Sed Nauta crebrò merce beatior
Soluit per undas integra lintea,
Et ſæpe placatus Deorum
Rex meliora dedit roganti.
Namq. ecce noſtras accipiens preces
Magnis in auſis Cælipotens adeſt,
Fuditq. Turcas, & minatur
Indomito exitium Tyranno.
Iam Marte primo Barbaricos duces
Cum claſſe multa perdidit æquore,
Victorq. palmam rett ulit dux
Auſtriacus melior Parente.
Senſitq. cædes Iſthmia Perſicas
Vrbs, & Corinthi flumina ſanguine
Infecta deteſtantur arma,
Prœliaq. Auſoniaſq. gentes.
Ob armat omnis Græcia dexteram,
Iniuſta quærens rumpere fœdera,
Ardetq. pugna Miles omnis
Sponte ruens per acuta bella,
Quis ergo curet uel profugum Scythem?

Trucemq.

Trucemq. Maurum ? uel celerem ſequi
Parthum ? aut quid infidelis Vrbi
Turca paret, Tanaisq. potor,
Si nulla ſpes eſt ? occidit, occidit
Spes Barbarorum fluctibus obruta:
Vnus ſuperſtes Barbarorum
Claſſe fugam arripuit citata.
O turpe factum, ò mollis inertia;
Mortem plus ipſe flagitio times ?
An non decorum, & glorioſum eſt
Fortiter occubuiſſe morti ?
Quaſcumq. terras contigeris pede,
Quocumq. tandem te abdideris loco,
Non auferes collo imminentis
Perfide ſupplicium ſecuris.
Te Ramagaſſus perſequitur ſciens
Pugnæ ſupremo non ſine numine.
At exigit pœnas cruentas
Turca memor ſceleris nefandi.
O cernis ? & quanto melius foret
Pugnaſſe ? laudes forte aliquis tuas
Narraſſet: at uix præda fies
Famelicis laceranda coruis.

AD FRANCISCVM MED. ETRVR. PRINC. DE VICTORIA IOAN. Auſtriaci: Antonij Renerij Od.

VT, Magne Princeps, tollit equis caput
Sol incitatis, ſplendida lumina
Mane explicans, nubeſq. uultu
Cęruleas radiante ſoluens.
Sic gentis Hiſpanæ eximium decus
Lucem Ioannes Auſtriacus dedit,
Fulgoreq. armorum ingruentes
Diſpulit Italiæ tenebras.
Cum perditorum lata per equora
Vltus ſuperbos contudit hoſtium,
Læuiq. conatus Tyranni
Pectore magnanimo repreſſit.
Vt Chriſtiani nominis hauſerint
Hoſtes iacentes ſupplicij ſatis:
Dum quiſque ad atrum miſſus Orcum
Cæditur Eumenidum flagellis.
At ò ſceleſti magna laceſſere
Nunquam Deorum numina, diſcite
Quæ perſequi pœnis rebelles
Vel medijs potuere in undis.
Mars dum fremebat, quem ſtrepitus iuuat
Armorum, adempto interritus ocio,

Et

Et pace rupta, cum nec eſſet
Spes placidæ requietis ulla:
Captæ triremes, rapta minantium
Veſtilla, ſparſeq. exuuiæ Ducum
Cruore cæſorum, triumphos
Magnificos peperere nobis.
Quid non Deorum, quos Deus adiuuat,
Deiq. ſacra ſorte Vicarius
Labore functos uſq. curat,
Quos recreet Pius, obtinebunt?
Ergo ut ſoluta uere nouo niue
Tepeſcit aer, pataq. honoribus
Africa lætis ueſtiuntur,
Terra nitet, ſata culta rident.
Item ut, repreſſis Auſtriacus minis,
Immanium Turcarum arcuit impetum,
Renidet orbis, æquisq. ſæcla
In melius reparata gaudet.
An non pudebat dedecorum ?cita
Cum claſſe uectus per freta cærula
Veniret uſq. impunè raptor
Litora depopulare noſtra.
Per uimq. matres cum puero ſimul,
Et cum puella, neſcia quæ uiri
Ludebat in dulcis parentis
Vſq. ſinu, rabiem trementes
In ſeruitutem abduceret impiam.
Sed perfidi hoſtes in ueterem modò
Senſere uirtutem utriuſque.

Heſperia

Heſperiæ populos rediſſe.
Cum cæſa ab illis Ionium mare
Cruore tinxit Thraca manus rubro,
Noſtro & potenter barbarorum
Marte fuit populata claſſis.
Viamq. miles iam ſibi feruido
Muniuit oras pectore ad ultimas,
Vrbes recepturus ſuperbas
Quaſq. uolet, calidus redemptor.
Fertorq. ibidem quondam Italos agens
Auguſtus ingens in fera prœlia,
Antonium uiciſſe fruſtra
Barbaricis opibus tumentem.
Regina largis diuitijs ferox,
Stipata magnis uiribus ultimi
Orbis, retrorſum terga uertens
Vela dedit pereunte claſſe.
Arabs nec illam, ſed neq. ſerici
Iuuere, non Aegyptus, & India;
O debitum ſane uſq. noſtris
Actiacum pelagus triumphis.
Sed tu, qui imperio fortis Etruriæ
Fulges, paraſti ſubſidium Duci,
Curaſq. uictorem iuuandum
Auxilijs, opibuſq. ſummis.
Onuſta donis iam tua ditibus
Claſſis redibit functa laboribus;
Lætoſq. ſeruatæ uidebo
Serta noua impoſuiſſe nautas.

Petamq. ſacro ſplendida cernere
Honore templa, & munera poſtibus
Affixa, cum nares odore
Ara pio tenues laceſſet.
Datoq. plauſu, lætitia uiæ
Vrbis ſonabunt omine cum bono
Poſcentium te uoce ſaluum,
O decus, ò columen tuorum.
At facta Muſæ carmine quæ negant
Illuſtrium præclara mori uirum,
Hæc poſteris tradent in æuum
Per memores celebrare faſtus.

IANI PELVSII: AD PVEROS, PVELLASQVE SALERNITANAS.

VIRGINES *caſtæ, pueriq. lecti,*
Tecta qui docti colitis Salerni,
Auſtrium longa rogo uos Ioannem
Tollite laudi.
Ille cum forti Veneto, tot annos
Regis inuictas Selymi triremes
Marte nauali ſuperauit una
Luce, duceſq..
Merſa pars claſſis pelago ſub alto,
Suſpicit ſedes Thetidis marinæ:
Capta pars uaſtum trahitur per æquor

Vincta

Vincta rudente.
Nauium ductor caput amputatus
Occidit: nati teneris ab annis
Seruiunt triſtes Aquila, & Leoni
Colla ligati.
Quis uirum cædes referat? quis arcus
Dicat? aut plenas pharetras ſagittis,
Scnta, uel nautas pauidos ſub imo
Gurgite merſos?
Inſolens ponto hoc fuerat potenti
Victa cum Marco Cleopatra quondam,
Cæſari & magnum peperit triumphum
Claſſe ſubacta.
Iam Scythæ inſueti iuga ferre collo,
Vincla, quæ nobis fuerant minati,
Sentiunt ipſi, ualidoq. nixu
Cærula uerrunt.
Ipſe Naupacti ſinus hinc, & illinc
Cum ſalum Nereus Scythico cruore
Vidit infectum, procul in remoto
Se abdidit antro.
Atq. ibi inflatus ſolito furore,
Thraciæ dixit dominator oræ,
Vrbe Byzanti cito pulſus, ibit
Caucaſi ad ædes.
Cerno coniunctos Venetos Iberis
Ire poſſeſſum Solymas, & illic
Hoſtibus cæſis, reparare Chriſti
Templaq. & aras.

Paſtor humani generis lauabit
Flumine in ſacro populum petentem
Optimos ritus, fideiq. ſanctæ
Religionem.
Aurei ſæcli pietas redibit,
Atq. quod ſacri cecinere uates,
Orbis in terris erit unum ouile
Paſtor & unus.
Nullus in ponto melior triumphus.
Eſt adhuc partus, neq. maior unquam
Gloria in terris, neq. fama maior
Contigit ulli.
Carolus multis licet inſolentem
Fuderit patrem Selymi trophæis,
Quà ſuis altæ rigat Iſter undis
Rura Viennæ.
Atq. prædonem Libyco in profundo
Vicerit, capta regione, & ampla
Vrbe Tuneto, ac dominum priorem in
Sede locarit.
Mente uos pura pueri, & puellæ
Nunc Dei uiui genitum rogate,
Auſtrius uiuat Pylij Ioannes
Neſtoris annos.

BER-

BERNARDINI LEONIS PRIVERNATIS

Ad Felicem Perettum Cardinalem ampliſs.

Iderat infidum Neptunus uincere Turcam,
Omniq. onuſtum prœlio
Ire per exuuijs, gazam mirantibus Euris,
Immenſa Victorem æquora;
Et iam iamq. tibi ui multa inſerre timorem;
Regno ferè oppreſſus ſuo.
Cauſa mali tanti ueſtri diſcordia cœtus
Chriſti colentum Principes;
Quos regnandi auidor tenuit tam dira cupido,
(Hoc pace ueſtra dixero)
Vt fidei oblitis odia exercere pudori
Non eſſet inter uos diu.
Summa ſed ecce Dei bonitas, balatibus acta
Frequentibus ſui gregis,
Tanta Pio uoluit commiſſa negocia Quinto,
Suam fideles in uiam
Dirigeret, belli cauſas decideret atri,
Omneſq. in unum cogeret;
Huius ut auſpicijt Paſtoris Claſſe parata,
Et copijs, relinquerent
Litoraq. & patriam, & claros cum coniuge natos,
Parentq. in altum carbaſa.

Et quamuis totum lateat ſub claſſibus æquor
Hoſtilibus, nec impiæ
Vndiq. deſiſtant unquam terraq. mariq.
Chriſti ſacram rempublicam
Dilaniare; tamen numeroq. & uiribus impar
Potitur hac Victoria.
Scilicet æterni Genitoris tela, manuſq.
Tonantis, ac fortem manum
Nullum conſilium ſtat contra, nulla poteſtas,
Nullumq. robur militum.
Ecce Pij precibus ſummo deſcendit Olympo
Super fideles gratia;
Nauali ut bello aggreſſi rapiantq. ruantq.
Trucum carinas hoſtium.
Hinc meritò ò felix mea ſpes, Eccleſia mater,
Piuſq. Paſtor exilit.
Cui, licet ignotus, ceu ſeruus inutilis, æque ac
Patri ſalutis, gratulor.
Supremoq. patri, fecit quòd cuncta, nouoſq.
Qui Machabæos ſuſcitat.
Innumeras refero grates prece, ture, ſacriſq.
In ſupplicationibus.
Quas fieri is mandat tanto pro munere lætus
Tantaq. pro Victoria.

Eiuſdem.

ECCE *deſuetam, fluuioſq. merſam*

Iamdiu

Iamdiu lethes meminere tandem
Principes artem, fideiq. ſæuos
Itur in hoſtes.
Ecce noſtrarum uolucri cohortum
Claſſe, Paſtoris precibus coacta,
Improbum Heroes populanter, icto
Fœdere, Turcam.
Ecce nauali redeunt corona
Tempora ornati, manet &, carinis
Pluribus captis, ſacer hos triumphus,
More Parentum.
Nec minus ſancti ſequitur negoci
Pondera inſtructis Venetus cateruis
Victor & terra fruiturus alta
Sorte, mariq.
Græciam diro domitam Tyranno,
Auguror, paucis rapiet diebus,
Heu nimis longo, uitio Priorum,
Tempore preſſam.
Quid tua tunc ò ditione maius
Magne Byzanti Patriarcha Thracis?
Oſculum cui tunc manui licebit
Figere ſacræ?
Tum cibo paſces duplici, receptos
Patrio uultu, populos; gregemq.
Pane cæleſti ſatiabis omnem,
Corporeoq.
Indicas quod nunc geminis ariſtis,
Quas tibi frugum genitrix alumno

Dat Ceres, leges Siculis arandi
Quæ dedit olim.

Quis mihi uires, lepidæ Camœnæ,
Suggeret, poſſim ut modulis referre,
Quàm decent rectè Siculum Parentem
Talia ſigna?

Magna portende geminis ariſtis,
Clauis in morem geminæ ligatis
Spiritus uatem docet è ſuprema
Sede polorum.

Auream inprimis utriuſque panis
Copiam monſtrant populo futuram;
Inde connexas fore cum duabus
Clauibus Orbis.

Ac tua ut trino ſcopulo in profundum
Prominet tellus, capit unde nomen
Trinacris, ſic te decorabit Orbis
Terna corona;

Sic premes terram, Phlegethonta, cælum;
Ipſe ne uiuam, ut meliore plectro
Te canam, Chriſti gregibus pacantem
Paſcua læta.

Eiuſdem.

IN M. ANTONIVM COLVMNAM E TVRCICO BELLO REDEVNTEM.

Nunc ſupplicandum, nunc decet altius
Omnes per Vrbes pſallere, ab improbo
Pendentis Agni Orco redemptas

Sanguine

Sanguine per nitidum lauacrum.
Nunc tota Chriſti res age publica
Lætare; magnis nam PIVS *exilit,*
Petri gerens uoces, uiceſq.
Laudibus accumulans Tonantem.
En, quale, quantum, quamq. ſuauiter
Titillet illi pectora gaudium,
De mole monſtrant Hadriani
Terrifici, tumidiq. bombi:
Monſtrat coruſcis cum radijs ſimul
Gyrus ſonanti ex arce rotatilis,
Ardentis inſtar nubis, altum
Qua feriat Michael Olympum?
Paſtoris ergo gaudia Ouiculæ
Sancti ſequamur; feſtaq. ſit dies,
Qua è clade uictor magnus Heros,
Incolumiſq. redit Columna.
Senſit ruinas Ionium mare,
Senſit Corinthus cum Cephalenia,
Quas Turca tanti trux acuto
Martis ab enſe tulit nepotis.
Videre uolui tota per æquora
Scuta, ac uirorum fortia corpora;
Videre Neptunum caput uix
Tollere poſſe ſuis ab undis.
Duces Quiritum per maria omnia
Triton canora perſonuit tuba,
Aequaſſe maiorum perennes
Viribus, ingenioq. laudes.

Non

Non Cæſar unda ex Actiaca tulit
Tantum decoris; nec Siculo ſinu
Agrippa; nauali Quirites
Cingite Romulidas corona.
Arcum trophæis ſculpite nobilem,
Scriptumq. magnis cum titulis ſuper,
Altas ut Arces, ut Priores,
Barbarico ſubeant triumpho.
Tempuſq. uobis Principe ab optimo
PIO petendi agnoſcite quidlibet,
Sperare cum large iubemur
Cuncta daturum, hilariq. fronte.
Nam quis coegit Chriſticolas, diu
Seſe inter omni iuris ab ordine
Deprœliantes, ac pio, ſic
Fœdere compoſito ligari?
Is nempe, ſancto ad talia ſpiritu
Gerenda ductus, dulcia promere
Oracla nunquam deſtitit, dum
Barbaricos premeret furores;
Donec parata Claſſe, ſuper ſui
Salute Paſtor ſollicitus gregis,
Pugnare iuſſit, militemq.
Præſidio, ſuperumq. fretus.
O ſi capaci numina Olympica
Humana poſſet cernere lumine
Natura, uidiſſes profanos
Viribus Angelicis perire.
Sic caſta Quinti uota Dieſpiter

Pÿ, merentes audiÿt ac preces;
Sic uiuat orbi; ſic beatus,
Qualis Arabs uolucris; uireſcat.

AVRELII ORSI.

IN M. ANTONII COLVMNÆ TRIVMPHVM ODE.

IAM tange plectrum, dic age iam melos
Thalia gratum, ſeu uiridi libet
Sub colle, ſiue ad lene ſacræ
Murmur aquæ, ſtrepitumq. ſiluæ.
Namque ille Princeps, cui galeam dedit
Pallas, Camœnæ, cui Themis & bona
Lucina naſcenti benignis,
Luminibus, placidoq. uultu
Riſere; turmæ cum grege Turcicæ,
Lauro decorus nunc Capitolium
Scandit, triumphaliq. curru
Signa domum retulit, Scytharum
Erepta roſtris. ò quis honoribus
Aeternet almis, Romulidum, tuas
Columna uirtutes, Latinæ
Gentis honos, columenq. Romæ:
Funeſta tandem robore nam tuo
Claſſis Scytharum concidit æquore,
Senſitq. quid uirtus, & acre

Conſilium,

Conſilium, ingeniumq. poſſit.
Gentis, ſecundo quæ tulit exitu
Vrbes per omnes militiam & Getas
Indoſq. ſubiecitq. Perſas
Viribus, imperioq. Romæ.
Antiqua nondum proruit inclyta
Virtus: triumphi uiuit adhuc amor:
Romana iam magnos Quirinos
Terra feret Curioſq. fortes.
Iam nec Camilli, nec Marij inuides
Partis triumphis, dum minitantium
Compreſſa deducens cathenis
Colla ducum, ueheris triumpho.
Vt Vaticani uocibus inſonant
Montes? ut uda Tibris arundine
Velatus, & colles propinqui
Plauſis exiliere lætis?
Vt ueſtis, aurum, fulget & Indicum
Ebur? decentes ut iuuenum chori,
Vt fulgor armorum coruſcus
Sollicitas pepulere curas?
Lætare uictor, more patrum, tuis
Geſtis triumphis. ſcilicet ultimo
Spectator huc uenit Britannus,
Oceano, Rodaniq. potor.
Non Roma, talem palma Numantiæ,
Curru ſuperbo reſtituit ducem
Tibi: neq. immenſi labores
Amphitrioniadem Pelaſgis.

Non Cæſares, non Scipiadas parem
Tarpeia uidit rupis, & Itala
Tellus, nec inuictos Nerones
In patriam reditum parantes.
Iò triumphe: et uictor equo ſuper
Nunc huc habenas, nunc celeres notas
Illuc reflectit, nunc beatæ
Cernit opes, fremitumq; Romæ.
Huc Muſa frondes, huc breue lilium
Permiſce gratis floribus, & comas,
Thalia uictori Columnæ
Cinge roſa, uiridiq. Myrto.

AD MAXIMILIANVM CAES. INVICTISS.
De Victoria aduerſus Turcas Parta Bernardini Parthenij Spilimbergenſis.

NON fronde Phœbi, aut uerſicoloribus
Spectanda pennis, palma at Olympica
Inſignis, auro, lucidiſq.
Calliope radiata gemmis,
Heroas inter ſemideos, nigras
Oblita ſiluas Phocidis, & leues
Pindi ſuſurros, ſueſce Regum
Sedula liminibus potentum.

Con-

Tu uellis altis montibus erutas
Quercus canendo, tu rapidos lyra
Ventos, & abruptas procellas,
Præcipites remoraris amnes.
Te horrent loquaces Pierides, nouas
Plumas amictæ, teq. Acheloidum
Proles reformidat uolucrum
Puniceo ſpoliata dorſo.
Quod longe Iberus, quod Tiberis pater,
Atque alta lato cincta mari urbium
Regina miretur triumphans
Perpetuum meditare carmen.
Montes niueſq. tranſuolet, & ſacra
Vox ad profundum Danubium omnibus
Centum ſonantem, diuitemq.
Barbaricis properet triumphis.
Gratare Regi Cælitum, & aures
Incende templis pinguia munera.
Thuriſq. Oronteoſq. odores,
Diuitiaſq. Arabum beatas.
Admouit aurem rebus in aſperis
Votis, nitenti ac lumine conditor
Cæli refulſit, protinuſq.
Exoriens pepulit tenebras.
Deleuit ultor uindice dextera
Claſſem Tyranni funditus, & rates
Male ominatas belluoſo
Subruit Ionij profundo.
Monſtri furorem luſit, & impias

Portare

Portare uentos ſpes iubet irritas,
Tetro irruentis mox cruore
Cæruleas tepeſecit undas.
Qualis leæna marmarico e ſpecu
Obſcena cedis quam ſtimulat fames,
In nos ferebatur tremendo
Dente fremens periturus hoſtis,
Stridens Lybiſſam hunc ſed ueluti notus
Difflat arenam, aut africus impotens
Frondes caducas, laborantem
Turbine diripuit tonanti,
Ergo ſonoris omnia plauſibus,
Et læto eburnæ carmine tibiæ,
Colleſq., pulſatæq. ualles
Laudibus aeriæ reſultent,
Lux è tenebris fulſit amabilis
Soluta uinclis crura tenacibus,
Natis parentes, rurſus ægro
Pignora reſtituis parenti.
Terræ, poliq. ac rerum opifex, lator
Diuum, procellis cui Boreas furens
Nubeſq. parent, fulminantem
Quem Stygiæ trepidant ſorores.
Auertis altis culminibus faces
Bombos ahenos turribus arduis
Raptus nefandos, ac profanis
Relliquias manibus Deorum.
Totum hoc ſupremi muneris eſt tui.
Tu nos benigno numine protegis.

Tu

Tu perdis hoſtes, obrutoſq.
Tartareis cohibes catenis.
Lætatur æther, terra parens nouis
Paſſim renidet picta coloribus,
Nectunt odoratas Napeæ
Frigoribus medijs corollas.
Mutatur ætas. uer hyemi uicem
Cedit. tepentis rura Fauonij
Fœcunda pubenti roſarum
Prole leui recreantur aura.
Frondoſa tutæ per iuga deuiæ
Errant capellæ. per freta nauitæ
Pacata. tutæ per tumultus
Carpathios uolitant carinæ.
At uos, quibus iam uel tripodes ſacri
Laurusq. uictrix, palmaque nobilis
Debentur Heroes, coronæ ac
Gemmiferæ radiantis auri,
Poſcente tanto cardine, pergite,
Præſens ſecundis rite laboribus
Dextra rubenti Cælitum Rex
Dux aderit animoſus auſpex.
Dirum patenti iam Antiphatem mari
Pulſum, cruento ac milite territas
Replere terras comminantem
Fertilibus prohibete campis.
At tu tot urbes, regnaq. ditia,
Romana quem res poſtulat, annue,
Succurre ſæclo fluctuanti,

Ambigui

Ambigui reparator æui.
Inuicte Cæſar, maxime principum,
Cui rerum habenas, atque adamantinis
Firmata clauis promerenti
Sceptra boni ſtatuere diui.
Ductore quis te uel profugum Scythen,
Mediumq. Dacumq., ac Macedum agmina,
Quis uel Typheos iam, uel hirtos
Eumenidum metuat colubros?
Reges ſequentur. Te Solimæ, ac ſacrum
CHRISTI Sepulchrum flagitat, hinc diu
Te Memphis, Euphrateſq., lateq.
Irrigui tremit unda Nili.
Nunc famam Olympo, ac ſideribus licet
Proferre, terris Imperium ultimis,
Quacunque fluctu inhoſpitalis
Murmurat Oceanus frementi.
Exurge Cæſar, ſolicitis uigil
Curis. ſecundis uela tuis ſonent
Inflata uentis diſſecantis
Nauifragum pelagus phaſeli.
Votis pauentis excubitor gregis
Accurret ultro ſupplicibus PIVS.
Is te triumphali, nouaq.
Accipiet reducem corona.
Nos dehinc ſuperbis molibus arduos
Tollemus arcus, ſideribus pares,
Stabuntq. inauratæ ſub axem
Purpureis maculis columnæ.

Hic geſta terra, atque undiſono mari,
Cęlata quondam fortia lubrice
Labente ſæclo obſtupentes
Magnanimi relegent nepotes.
Suſpenſus alto è fornice acinacis
Et tela ferro fulta cidonio
Arcuſq. pendebunt ſonantes
Exuuiæq. oriente raptæ.
Hinc roſtro adunco, atque unguibus aureis
Ales Tonantis, fulmineo hinc Leo
Et dente frendens, & minaci
Vngue ferox meditante pugnam.
Adſtabit, æriſq. increpitans ſonum
Bellona rauci impellet, & horrida
Vultu timendo perſonabit
Sanguineo minitans flagello.
Tonabit æther plauſibus. At miſer
Selinus atro puluere ſordibus
Ad Bactra mærens, Caſpioſq.
Vipereo fremet ore demens.

HIERONYMI LVDOVICI
FOROIVLIENSIS.
Ex Italića Ill. ERASMI Valuaſonij.

DVBES Pelaſgum maſcula principum,
Quæ prima in altum ſoluere Peliæ
Inſigne quærens uellus auro
Aeſonio duce non refugit,

Seruata Diuum conſilio eſt, tuo ac
Typhi ſecundo, dum freta tranſuolas,
Cauteſq. luctantes, minaxq.
Rupe graui coeunte dorſum.
Exinde nunquam ſunt mala triſtia
Paſſi legentes marmora nauitæ.
Monteſq. crudo iam relicto
More, fauent faciles quieti.
Quod multa ſi per ſecula detulit
Ad nos tenaci fama licentia,
Typhimq. cælo duxit æquum,
Quod pelagus ſuperarit Argo;
Quæ te per orbem gloria maximis
Aequanda tandem pro meritis feret
Inuicte princeps? qui carinam
Non cohibes modo fluctuantem,
Sed peruicacis iam dominum maris
Dira heu ferentem funera diſijcis
Claſſem profundo, iam rubente
Flumine barbarici cruoris.
Dicant uetuſtos Pierides uiros,
Teſta ac ſuo armis fortia concinant,
Pinusq. ponto peruolantes,
Palladia fabre ab arte factas.
Fœlicia olim robora montium
Decus, comanti ac uertice ſydera
Quercus petentes, cælituſq.
Temporis haud neſciæ futuri,
Queis ipſa Iuno ac incubuit, iugis

Demoliendo iam nemora, & Ioue
Donante ſenſus, alloquentem
Quercubus atq. animam applicante.
Et monſtra iactent horrida gentibus,
Letumq. præ ſe mille ferentia
Portenta, crudas atq. pugnas.
Queis uacuæ teneantur aures.
Silentio nec ſemiferas iuuet
Cæci uolueres tradere Phinei,
Et terga ſquamoſi Draconis,
Peruigilesq. oculos canendo.
Tum qualis haſtis ſe ſe egerit ſeges
Armata Campo; telaq. uerterit
In ſe ipſa demens, & cruore
Imbuerit ſola ſacra Marti.
Atq. ore tauros igniuomo truces,
Nam, quicquid ætas concelebret uetus,
Non illa demum tanta finget,
Quanta manu geris ipſe forti.
Laus eſt ne ab una ſede nitentior,
Fugaſſe fœdas, ac trepidas aues,
Noſtris uel à menſis opimis
Tot rapidas repuliſſe fauces?
Thraci aduolantes ingluuies freto,
Iamq. imminentes ceu rabi de feræ,
Extrema muſſanti atq. cuncta
Heſperiæ mala comminantes.
Quis glorioſum dicere cogitet
Magis tremendos terrigenas quidem

Mactaſſe,

Mactaſſe, quorum ætas breuis lux
Vna fuit ſubitura noctem.
Sagis domandos carminibus prius?
Aut fulminantum millia tot uirum
Miſiſſe læto, iam diuq.
Caniciem galea prementum?
Gradiui alumnos ſanguineo & mari
Late ferendos, & uolucri Noto
Dextra potenti tradidiſſe,
Et penitus laceras cohortes.
Iam Chriſtianum te duce in æthera
Surrexit ingens nomen, & extulit
Antiqua dudum pene rapta
De manibus decora alta noſtris.
Tu fulminantem concilias Iouem
Nobis amœnos tu Illyricos ſinus
Ex hoſte ſeruas formidato, ac
Litora deſtituenda Grais.
Detracta nobis ſunt modo uincula,
En uita, ſenſus, tectaq. reddita.
En templa Diuum, ſacra, ritus,
Pulſus honor, patriæq. leges.
Per te haud timore ut pertrepidi greges,
Clauſi, atq. inermes paſcua cernimus
Deſerta, & ingenti procella
Indomiti populata Martis.
Non aut metendam iam Cererem ignium
Prædam uidemus, non ſua prodigum
Sata aut ſecantem pabula hoſtem

 Strage

Strage fero miſeranda & ipſi.
Nunc noſtra nobis Heſperia explicat
Comas, tua illa lætior altera, ac
Onuſta procedens recenti
Nobilis ingreditur triumpho.
Regina per te cultior Adriæ
Ad templa Diuum cum patribus frequens
Incedit & uictrix ſupremos
Dijs meritos cumulat honores.
Altrix uirorum ſurge age fortium
Romæ potentis filia & æmula
Summam tuarum crede rerum
Cælitibus tibi iam ſecundis.
Cum Sole uelox ferrea nam tibi
Tum Cloto rumpet ſtamina colligens,
Cum lege naturæ carebit
Orbis agnes uaga ſigna circum,
Mutabit undas cum Tanai ſuas
Nilus, & Eurus qua dies occidit
Spirabit incertus, plagaq.
Mitis aget Zephyrus ſe Eoa,
Rigens ab axe & deueniet Notus,
Madens ab Affro nos Boreas premet,
At non adoptauere & ipſa
Sydera perpetuam quietem.
Hoſtis Typhæus bella etiam Ioui
Mouiſſe fertur, centimanus Giges
Centumq. celſos in deorum
Concilia accumulaſſe montes.

Quid

Quid regna mirum peruariabilis
Quandoq. ſi ſors maxima concutit,
Si ſe olim in hoſtes intulere
Cælicolas rigidi Aloides.
Et Marte capto multiplici ad Iouem
Sunt monte adorti pandere iter ſibi,
At mole uadentes ſua ipſi
Dura ſibi peperere fata
Nam non deorum pectora perculit
Expers fidelis conſilij impetus.
Nec ſpem fouerunt impotentem
Vana diu mala ſomniantes.
Nam Rhætus otrim uellere dum ſtudet
Cadentis ingens intonuit fragor
Oſſæ, gygas atq. ipſe dirus
Late animam dedit irruendo.
Phlegreus horror perdomitus manu
Phœbi ſagittas deijcere impigri.
Sic ipſe & in nos iam Selinus
Dira fremens modo non ſuperbit.
O neſciorum duræ hominum uices,
En ille demens qui modo uouerat,
Se non remiſſurum ſonantem
Arcum humeris, pharetramq. laxam,
Remenſa Abidi aut tangere litora,
Præda niſi auctis diuite nauibus,
Non & niſi amplis pertrahentem
Cum ſpolijs miſeras cateruas.
Ille ac Diones Idaliæ domus

Prædo nefanda ſœdifragus nece,
Vaſtator ipſius propinqui ac
Litoris Illyrici cruentus.
Qui nulla ducens poſſe ſibi agmina
Iam ſtare contra, magna uel Itala
Pridem minaci ſæpe uultu
Regna ſibi tumidus petebat.
Qui ſtupra & inter iam Latias nurus
Diro premebat pectore cogitans,
Suſpirat Auroram relictam
Nunc rabie irrugiens inermi
Sublimis at te te Auſtriadum decus
Manet triumphus, cui Deus obtulit
Orbem per omnem deferenda
Alta ſuæ monumenta legis:
I Muſa fines i Siculos pete,
Flauum inuenta hic conſpicies uirum,
Huius trophæis tu applicata
Cinge caput meritum corona.

BERNARDINI LVCATELLI
GLEMONENSIS.

DVM mouet in Venetos claſſem nouus ille Pharaō
Aequora ſub tāto pōdere feſſa gemūt,
Hanc tamē Omnipotens ſpumātibus æquoris undis
Obruit, ut ſcires uere adamaſſe ſuos;

Omnes

Omnes exiliant, & Bacch analia uiuant,
Nam quoque letitiæ ſigna dat ipſe polus,
Lumine maiori fulſerunt Sydera Olympi,
Ipſaq. ſidereo lumine terra grauis
Exhibet innumeros hyemali tempore flores,
Et matura ſuis poma leguntur heris.
Aurea Saturni iam nobis ſæcla redibunt,
Iam ſine præfixo limite campus erit,
Mella dabunt quercus, necnon bis meſſis in anno,
Bis erit in campis luxurioſa ſeges;
Conſpicientur oues nullo cuſtode reuerti
Sæpe domum, inſidias nec timuiſſe lupi,
Tanta erit in toto cæli clementia mundo,
Veris ut æternum tempus adeſſe putes.
Sydera cum fuerint tantorum cauſa bonorum,
Quis neget à ſuperis inferiora regi?
Ne tamen aſtra colas, ſolum uenerare Tonantem,
Qui regit Imperio cuncta creata ſuo;
Hic Venetum uentis impleuit uela ſecundis;
Et tulit auxilium, dum ferus hoſtis adeſt,
Fudit & hic acies Turcarum, denique claſſem
Aequoreis tantam perdidit ipſe uadis.
Ne timeas hoſtes, aduerſus tela Tyranni
Cum Duce tam forti miles inermis eas;
Victor eris tandem, & ſpolijs Orientis onuſtus
Cincta triumphali tempora fronde geres.
Turcica lex Bromij dulces uetuiſſe liquores
Dicitur, (ò quantum lex erat illa grauis)
Quin fuit illicitum Turcis duxiſſe choreas,

Ille-

Illecebriſq. capi, quas amat alma Venus;
Sed modo cæperunt uenerari numen utrumque,
Numina ſunt cordi Bacchus, & alma Venus,
Atque ideo exoptant Cypri ſibi ſubdere regna,
Ut poſſint uita liberiore frui,
Huc uolitant; uerum pro ſpreto numine Bacchi
Non bona uina bibent, ſed uada ſalſa maris;
Illecebræq. Dea Paphiæ, dulceſq. cachinni,
Oſcula blanda, ſui ſpicula Martis erunt.

Eiuſdem, ad Leonem Venetum.

Gloria quadrupedũ quid ceſſas perdere gentes?
Mentior, hæ potius ſunt Orientis oues,
Arripuere fugam, partẽ modo Thracius abdit
Boſphorus, infernas pars adiere domos;
Sterne gregem inualidum, ſuperi tua cœpta ſecundãt,
En tibi ſe comitem ſacra Columna facit,
Exhibet omnipotens uolucrem, quæ tela miniſtret,
Dirigat atque tuum, quo libet, ire, pedem.
Eia age rumpe moras, ouium iam tolle magiſtrum,
Qui grege de noſtro ſemper abegit oues,
Illius aſpicias ſtillantem ſanguine cultrum,
Illius aſpicias cæde tepere lares;
Non tibi tantus honos, dum quondam raptus ad aſtra
Sydus eras, terris nam modo numen eris.

IN LAVDEM AVGVSTINI BARBADICI.

PRo patria extinctum te flerunt ardua cæli
Sydera, ſyderibus nam bene notus eras;
Pierides nunquam tales fudere querelas,
Nec tantum gemuit Sol Phaetonta ſuum;
Charus eras Muſis, te Mars, ac Phœbus amabat,
Gloria Pieridum, gloria Martis eras.
Non Auguſtini, ò Venetum fortiſſime ductor,
Ceu prius, Auguſti ſed tibi nomen erit.
Nam uelut Auguſtus pacatum reddidit orbem,
Sic tu parta orbi pace relinquis humum;
Ac uelut ille Polum quondam conſcendit, & inter
Sydereos proceres conſpiciendus erat,
Sic tua te uirtus extollet ad aſtra, ſedebis
Inter & Heroas, Semideumq. choros.
Pierides tumulum ſacris ornate corollis,
Eſt opus hoc ueſtrum, ueſter alumnus erat;
Tu quoque Mars clypeum, necnon hic pone ſagittas,
Nam tua cum tanto eſt fama ſepulta Duce.

Eiuſdem.

QVis modo Cypriacæ caſum non defleat urbis?
Quis tā mētis inops, Herou maxime Mechni?
Qui non in clades regni ſuſpiret adempti?

Hactenus

Hactenus ipſe quidem curarum oppreſſus aceruo,
Non potui ſacros Heliconis adire receſſus,
Hæc fuit una mei diuturni cauſa ſilenti.
Namq. ubi Turca metũ magno ferus incutit orbi,
Et bello ad cunctas terrarum fulminat oras
Victor, & in uictos populos furit impius armis,
Incepi tepidare metu, nam mente reuoluo:
Facta nefanda, uiros iam nulli parcere ſuetos,
Hi dulces iugulant natos ante ora parentum,
Inualidoſq. ſenes, nec quicquam tale timentes.
Ante aras, ante ora Dei (miſerabile uiſu)
Enſibus obtruncant, lacerantq. miſerrima membra.
Non ignota loquor, nam nulli incognita Cyprus
Inſula, diues opum, Venetorum maxima meſſis
Hic erat, hac capta magno clamore ruentes
Non ſecus, atque lupi fœdarunt cuncta cruore
O ſcelus horrendum, innuptas uiolare puellas
Non ſatis eſt, gladios penitus in uiſcera condunt,
Deiecere aliæ ſe ſe de turribus altis
Præcipites, aliæ transfixæ corpora telis
Procubuere ſuis, ne uim paterentur ab hoſte.
Heu lachrymæ impediunt numerũ memorare camęnis
Tantorum ſcelerum, quæ dira in mœnibus hoſtes
Commiſere manu, ſatis eſt ex millibus unum
Dicere, quo nullum toto eſt truculentius orbe,
Et quod mille feri uix inuenere Tyranni.
Dux fuit in Cypro Regum de ſtirpe creatus,
Quo non maiorem bello Sol uidit, & armis,
Hunc ubi ſternentem primos ex agmine Turcæ

Conſpe-

Conſpexere, ruunt, & collo uincula nectunt,
Diductaſq. illo mox implent puluere fauces,
Machina quo belli caua concutit oppida, & arces
Deijcit horribili ſonitu, cœliq. fragore,
Faucibus imponunt ignem, tunc ora repente
Sunt lacerata ſono ingenti, ceu fulmina quando
Iuppiter omnipotens cælo iaculatur ab alto,
Non Geta tam ſæuum, nec tam crudele tuliſſet
Soluere ſupplicium, foret hic ſi captus ab illo,
Non hoc Sylla nefas ſiccis ſpectaſſet ocellis,
Non Phalaris, non ipſe Nero illo immanior angue,
Quem pede preſſit humi æſtiuo ſub Sole uiator.
Spero equidem tanta pœnas pro cæde daturos
Quamprimum, ſuperis ſi ſunt mortalia cordi,
Et ſuperis equidem ſunt hæc mortalia cordi;
Nam ſimul ac Veneti uictricia ſigna per orbem
Ferre uident Turcas, genus inſuperabile bello,
Legatos ſubito ad Regem miſere Philippum,
Pontificemq. Pium, quos intra tecta uocatos
Rex tandem uerbis ſic eſt affatus amicis.
Ite uiri, & noſtris ſocijs hæc dicite noſtro
Nomine, iam pauidum mittant de corde timorem,
Cernitis inſtructas acies, claſſemq. paratam
Gurgite cæruleo, totum quæ terreat orbem,
Milite nunc Venetos armato, opibuſq. iuuabo,
Nam mihi iamdudum coniuncta eſt fœdere dextra
Cum Venetis, eadem Roma reſponſa feretis,
Nam Pius auxilio ueſtrum fouet uſque Senatum;
Sit Deus omnipotens cuſtos, claſſemq. gubernet,

Pellere quo poſſint ſcelerata à ſede Tyrannum,
Vtq. iterum terras pax exoptata reuiſat,
Cana fides, probitas, ac pleno copia cornu.

Eiuſdem.

VNa auis in terris, qua Cynthius aureus exit,
Ponit odoratos interitura rogos,
Stat ſuper, & pennis rutilantibus excitat ignẽ,
Vritur, in cineres uertitur inde nouos,
Prodit ab his tandem formoſior altera Phœnix,
Se nouat hoc pacto, ſicq. perennat auis.
Sic modo Turcarum Regi tranſmiſſa uirago
Fecerat, Aegeis dum ueheretur aquis,
Namque ubi captiuãm uentoſa per æquora duci
Se uidet, & collo uincula nexa ſuo;
Protinus ad ſocias ſe ſe conuertit, & iſtam
Vosne ignominiam ferre poteſtis, ait?
Selino ut cunctæ diro ſeruire uelitis?
Ah potius ſalſis commoriamur aquis,
Dixit, & in puppem ardentes iaculata fauillas
Se, comiteſq. ſuas, diuitiaſq. cremat.
Non perit omnino, poſt mortem eſt fama ſuperſtes,
Dignior & cælo reddita uita ſibi;
Altera ceu Phœnix terris eſt facta perennis,
Altera ceu uirgo eſt facta beata Polo.

Viderat alma Venus uaſtari Cypria regna,
Atque ſuas ſedes obſidione premi,
(Omnia Turca ferox ferro perdebat, & igne,
Omniaq. humani plena cruoris erant)

Martem

Martem adit expanſis per eburnea colla capillis,
Vix ah, uix teneris parcit & illa genis.
An ne ego poſt multas cædes his finibus, inquit,
Pellar? & amiſſis ſedibus exul ero?
O dolor, ò pietas, tam barbarus hoſtis habebit
Oppida delitijs ſacta ſuperba meis?
Ah pereat potius, Mars optime perde cohortes,
Vrbibus è noſtris hanc cito tolle lucem.
Pro te bella geram, faciam quodcunque iubebis
Mars ait, amplexus hoc meruere tui.
Pone metum Cytherea tuos, tunc credimus hoſtes
Victores, quando Mars quoque uictus erit.

HENRICI CANTIANI SPILIMBERGENSIS,

Ad Turcas bellum cum Venetis ineuntes.

QVAE uos pro fani Barbarico uocat
Ad arma ritu tam rabies fera?
Quæ culpa? quæ uis? quæ libido
Improba concitat imperandi?
Parum ne campis fundere ſanguinis
Vobis uidetur, ſi mare inhoſpitum
Non decoloretur. uel omnis
Tincta ſit ora cruore ueſtro?
Omne hoc recurrit flagitium, & ſcelus
In uos, & in uos funera ducitis

Parare

Parare nobis dum putatis
Funus, & immeritas ruinas.
Nam non inerti, nec rabido cani
Regem ferarum cedere condecet,
Cuius timendo denti, & ungui
Mox deerit locus ulcerandus.

ANTONII ROSANEI.

In Magna Navali Victoria.

Gavdeat cælum, iubiletq. tellus
Quiſquis, & Chriſtum colit, ora ſoluat
Lætus in laudes, reſonetq. lætis
Vocibus Aeter.
Torua pars ſæui cecidit Draconis
Qui modo lati Dominator orbis
Noxius Chriſti populos uorabat
Martius Anguis
In ſpecu natus Scythiæ propinquas
Eruit gentes, Aſiamq. paſtus
Mox & Europæ freta tranſmeando
Subſtitit hemo
Inde iam epoto Getico cruore
Illyrim Luna Genitrice fretus
Hauſit & tandem Danais ſubactis
Induit alas

Euolans

Euolans ponto citus occupauit
Quidquid Aegeum mare continebat
Euboam, Naxum, Rhodon, atq. Chium
Deniq. Cyprum
Iam maris terror Superi, Inferiq.
Italos uno meditatur hauſtu,
Iam Tibrim, Rhenum Rhodanumq. anhelat
Aliger anguis.
Non tulit Chriſtus ſcelus hoc nephandum,
Qui licet tentet tamen inuocantes,
Obrui nunquam patitur fideles
Sed iuuat ægros.
Ergo dum tenſas Draco pandit alas,
Suſcitat paſtor uigiles ad arma
Fortium cœtus colubrum repente
Exuit alis.
Sed quid optetis opus eſt figuris
Geſta res tanta eſt, quod in orbe maior
Nulla tot annis potuit uideri
Par, nec in armis.
Noſtra Chriſtidûm ſuperauit omnem
Turcicam claſſem, rapuitq. læſis
Hoſtibus totum mare, uindicata
Nautica res eſt.
O dicem fauſtum, celebreſq. Nonas
Menſis Octobris, quater ò beatas
Oxias turpi ſaturas cruore
Turcigenarum.
Virgine a fœta recolatur annus

Mille quingentis deciesq. ſeptem
Orbitis lapſis nouus, & lapillo
Candidus, albo.
Pugna Corcyræ docuit Melenæ
Poſſe confingi rabiem Selini,
Ecce confracta eſt, penitus adempto
Iam ſibi ponto.
Tu Gregis Paſtor Pie Quinte uerus,
Tu decus Chriſti fidei Phi lippe,
Vos Mocenico Veneti coronis
Cum Duce digni.
Fœderis nexus initi ſalutem
Attulit mundo prope iam ruenti,
Sed Miniſtrorum peperit triumphum
Viuida Virtus.
Auſtrium quis non celebret Ioannem?
Inde, quis Marci teneat Columnæ
Grande robur? quis ne Sebaſtian
Geſta Veneri?
Ecquis heroes numeret canendo?
Nam polus noctu radiat tot Aſtris
Quot cruentatos medijs ſtupebat
Nereus undis.
Vos, tamen cælis animæ receptæ
Quas Amor uerus Patriæ dicauit
Prælij auctores caput & triumphi
Laus decet omnis.
Contet Auguſtinum age Barbadicum
Doctior Vates grauiore plectro,

Hos Virum fama memori colemus
Dum manet orbis.
Sunt quidem plures ope ſingulari,
Qui ſuo nobis retulere fato
Lauream de ſe meritos honores
Quiſq. fidelis.
Quanta mortales decuit gerendis
Prælijs unquam, decet hos uiros laus
Qui ſuas nobis peperere dextra
Morte triumphum.
Chriſtus his merces fuerit perennis
Nos ei acceptum ferimus quod aura
Veſcimur leti nimium data hac Vi-
ctoria cælo.
Quis breui captas ſpatio triremes
Credat à noſtris trabibus ducentas
Sexieſq. octo pariter fugatas
Vix tribus horis.
Mauis optatis tulimus, quis unquam
Credat inuictos (piget heu) tot annis
Pauciorum ui potuiſſe uinci
Marte cruento?
Ecquis in noſtros animauit hoſtem
Vt ſuo parcat gladios cruore
Artubus piſces, ſpolijs iuuentam
Claſſe fideles.
Qui ſtatim uectos putet à Peloro
Nauitas auſos Penei ſub ora
Congredi con tot ſolidis carinis

Vincere ſuetis?
Sed Deus nobis Deus ipſe fauit
Vidimus uentos prius à Corintho
Proſperos hoſti tumido retrorſum
Turbine uerti.
Impetum cæli ſubito ſecuti
Milites noſtri ſuperant, quid ergo
Non erat Chriſtus tuiturus arma
Chriſticolarum?
Quæ ſua fidunt feritate gentes,
Nouerint Chriſtum Dominum, nec unquam
Arrogent palmam niſi deſtitutis
Numine noſtris.
Vos quoq. ò Chriſti populi fideles
Geſta concordes reuocant in hoſtem
Tempore oblato, properat e diram
Perdere gentem.
Tota num uobis pelagi poteſtas
Ceſſit en ultro, Imperium Selini
Porrigit mundi moderator, id uos
Carpite dextris.
Sponte conſpecto cadi umbra Sole
Militent tantum in crucifixi honorem
Inuicem nexis aderit miniſtris
Auctor Ieſus.

HIERONYMI RVBEI RAVENNATIS

Precatio ad Deum, pro bello aduerſus Turcas ſuſcepto.

RECTOR *maxime cælitum,*
Qui Regum arma regis, duraq. prœlia,
Et poſt tam fera ſęcula
Cum ſanctam tenuit Barbarus impius
Vrbem, ſanguine candidam
Et duro celebrem funere filij;
Nunc tandem incipis ultima
Exornare ſacris æquora puppibus,
Magnosq. unanimes facis
Reges, & Veneti ad fortia militis
Iungis conſilia, & rates;
Aſpira, intrepidoſq. exhibe ad impetu
Noſtros; & cadat hoſtium
Vis, qua letifera tela iacent manu,
Et ſquammis adamantinis
Noſtra ipſi excipiunt. ſpernere neſciat
Thrax ſæuus iacula horrida
Nec uictam fugiat ſulphureo pilam ab
Igni, & mole ruat ſua:
Præbe auras faciles, & mare tempera
Inſanum, Ducibus tuis;
Dumq. urbes quatient, altaq. mœnia

Vel ſolo ſtrepitu ruant ;
Vt tandem manibus , menteq. candidis
Summo maxime gaudio
Læti , ipſis oculis & lacrymantibus
Multas reddere gratias
Poſſint Chriſticolæ , & ſoluere in omnibus
Laudes , uotaq. debita
Templis , aſſidua te rogat hoc prece
Summus , nobilis imperi
Et ſanctiſſimus , & maximus , & Pius
Rector , quem tribuis tuæ
Paſtorem eccleſiæ ; quaq. poteſt , iuuat
Arte , & conſilio nouum
Cæptum , ſeq. in eo fortiter occupat ;
Et iam magnanimum Ducem ,
Ex ipſo genitum Marte , Columnium ,
Quo non corpore firmior
Alter ; nam geminum creuit in Herculem ;
Nec eſt dotibus ingeni
Illum qui ſuperet , ſiue Agamenona
Quæras , ſeu ſacra Cæſaris
Bella , aut arma petas Hannibalis fera ;
Romana locat in rate
Præfectum : hunc ſequitur turba Quiritium ,
Quæ non ante domabilem
Turcam , & Niligenam , nomine territat
Solo ; quid fore credimus
Cum magno propior diruet impetu
Vrbes , & ſocio ſuas
Firmabit Veneto non trepidas manus ?

Adſis ò modo tu, iuueſq.
Inceptum auſpicijs prœlium atrox tuis
Rector maxime cælitum
Qui Regum arma regis, duraq. prœlia.

INCERTI.
AD MANES EORVM QVI IN NAVALI PVGNA PRO Chriſtiana Repub. occubuerunt. Non. octob. 1571.

MENSAE *Deorum qui nunc accumbitis*
Et amnes præterlabentes ſuaui murmure
Fontium æternorũ circumſpicitis; ò ſtellanti
Frõte quos iubare ſuo ſol, et ſydera admirã(tur
Patriæ lumina: Vos fama immortalis manet,
Et uiuos reſeruat adhuc, qui incolumẽ peperiſtis
Victrici morte uitam ueſtris ciuibus.
Saluete Manes beati, ualete, & noſtri memores,
Quos inſonti ſanguine defendiſtis,
Præſidio perenni tutos reddite;
Et hoſtes regni patrij, & Ducis ſummi,
Cui nunc Heroes aſſidetis inclyti,
Sub iuga noſtra ducite. & fidei ſanctæ
Captiuate; ut unum in terris gentium
Sit Chriſti Imperium, unaq. tandem
Vobiſcum regnantibus nobis ſit pax & fauſtitas.

AD ILLVSTRISSIMVM SENATVM VENETVM pro feliciſſima uictoria contra Turcas.

ACADEMIA VERONENSIS.

ADRIAE exulta Decus ò uerendum:
Effer ornatam faciem trophæis:
Et coronatam ſuper alta tolle
Sidera frontem.
Cum pater Diuum dederit ſuperbos
Barbaros duris cohibere uinclis:
Qui modo effrenes tibi ſæua fata
Sæpe minati.
Concidit crudo rabies tyranno,
Ingemit uictus miſer, & ſuprema
Clade deiectus, geminat ſuperbæ
Verbera fronti.
Alma tu uictrix pelago patenti
Auferes regnum Pelopis Selino,
Quicquid & citra Pharon & Cyrenen
Cepit & ultra.
Ne trement Parebi, Nomades uagiſq.
Sæuus Hyrcanus metuet, reſuſus
Nilus horreſcet, Tanais pauenti
Concidet unda.

Nunc

Nunc tibi nomen celebre eſt paratum
Nunc ab occaſu uolitans ad Indos,
Fama crebeſcet tua, nec futurus
Terminus ullus.

INCERTI.

PSALMVS.

Conſurgamus omnes, & exultemus
In ſonitu magni tonitrui per quem
Annuntiata eſt nobis ſalubris Victoria,
Oſtendit flores terra noſtra in hyeme,
Et dedit fructus ſuos annuntians
Nobis gaudia magna.
Exultemus omnes in ſancto, cantemus
Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit
Dominus miſericors, abbreuiauit nobis dies ultionis
Suæ, & aperuit portas miſerationum ſuarum.
In nomine eius factum eſt prælium magnum in Mari
Aduerſus impios, & diſperſi ſunt
Qui gerebant animas noſtras.
Conuenerunt in unum, & inuicem loquebantur,
Vbi eſt Deus eorum?
Quæ peritia eſt eorum tuitus?
Quæ ſufficient eis?
Prophetam noſtrum Maumeth in cælis magnum
Habemus, qui iam conſtituit nos Dominos terræ:
Aequora, & uenti obediunt nobis & gladius noſter
Formidabilis eſt nimis ſuper uniuerſam terram,
Quare

Quare egrediamur uiriliter, & deſcendamus
Super latitudinem Maris:
Horreſcunt, & fugient, ut apparebit
Claſſis noſtra in conſpectu ipſorum,
Et auditus fuerit clamor noſter.
Velut pecora trucidabimus eos,
Opima ſpolia eorum diuidemus,
Et glorioſi undique procedemus.
Inſulæ, & ciuitates, & omnes qui habitant
In eis, ſtatim cadent ante pedes noſtros,
Et non erit ultra qui reſiſtat nobis.
Qui ex Auſtria aduenit Ioannes miſſus à Domino:
Aduenerunt & Paſtoris, & Leonis Duces inclyti,
Qui uexillo crucis erecto ſpem ſuã direxerũt ad Dñm,
Præterea Dñs, qui in tẽpore opportuno nõ obliuiſcitur
Populi ſui, preſto aſtitit in medio ſeruorum ſuorum,
Firmans illos in fortitudine brachij ſui.
Vnde, ſicut Angeli, facti ſunt fortes in prælio,
Sicut manus Domini fulmina iecerunt
In Impios, & exterminauerunt eos:
Deprehenderunt omnem claſſem, & inſignia
Omnia eorum abſtulerunt, & liberati
Sunt Patres noſtri millia millium.
Vere à Domino factum eſt illud:
Omnis lingua confiteatur ſanctum
Et terribile nomen eius.
Priuſquam egrederentur Impij ad dimicandum,
Speculatores emiſerũt, qui denumerarẽt Vela noſtra:
Confudit Dominus lumina eorum;

Et

Et Vela multa pauciora uiſa ſunt ipſis:
Dereliquit eos Ventus in pugna, & proſperati ſunt no
Dominus auulſit alas magnas Draconi, (ſtri.
Ne amplius uolitet per Mare, neque
Amplius noceat populo ſuo.
Contriſtabantur die ac nocte impij uidentes
Appropinquare dies deſolationis ſuæ.
Inſurgite undiq. fideles aduerſus eos,
In duplum reddite eius tormenta;
Sicut ipſi diu reddiderunt nobis,
Iam uenit plenitudo temporis, & de Manu
Ipſorum terras auferamus,
Et per eas laudantes Dominum ambulemus
Cælum, & terra laudibus Domini impleatur.
Cito de ea tollentur impij; Pax, & Salus
Erit à Solis ortu uſque ad Occaſum.

SACERDOTIS ANTONII
ACTII GALARACTII ELEGIA.

TANDEM *Turcigenæ pœnas cum ſanguine pendunt,*
Et Sanctæ cedit impia relligio.
Quæq. ciebatur bacchato Europa tumultu,
Vnanimis didicit nunc ſuperare Getas.
Vni iam diſcat Regi ſeruire Philippo
India, & extremi terra remota poli.
Ut lucem alati mures, ita lumina Turcæ

Auſu-

Auſugiunt Solis, qui nitet, Auſtriaci.
Gurgite in Ambracio Naupacti ad litora priſci
Quà bimares medius diuidit Iſthmus aquas.
Et quà pontiuagis Epyri prominet undis
Ἄκτιον, atq. apice ſurgit ad aſtra ſuo.
Claſſibus inſtructis inita eſt ubi pugna, refuſus
Sanguis & æquoreas erubeſecit aquas.
Triſtificum tellus Pelopis dedit iſta fragorem,
Et ſtrepuit rauco Trinacris ora ſono.
Multiplici mortis genere interiere minaces
Fluctu hoſtes, flammis, enſibus, atq. metu.
Miſcuit hæc cædes undanti ſanguine pontum,
Deerit cæruleus cui ſine fine color,
Hoſtis ubi ingentes uictæ ſunt æquore claſſes,
Oppida magnanimi rumpite clauſa duces.
Vos tutos reddunt hæc immortalia facta
A uitio miſeræ, quæ perit, inuidiæ:
Ancipiti curſu fortuna incerta uagatur,
Impetite, immanes dum rotat illa Getas.
Nomen Ioannis certatim ad ſydera uates
Auſtriaci referent carmine perpetuo.
Nec non Auriadæ clariſſima facta ſequacis
Viuent, & Venetum, tempora donec erunt.
O Regina maris, Venetum fidiſſima mater,
Quæ tantis ducibus præmia digna dabis?
Incipe, namq. ſoles magnos ornare Trimphos,
Et ſemper uiridi cingere fronde caput.
Sacra Deo Heſperij per templa, & ſtrata uiarum
Cantentur, pietas officioſa iuuet.

Numine

Numine placato uictricia ſunt foris arma,
Plus armis poſſunt uota, preceſq. domi.
It populus templis tota collectus ab urbe,
Et ſupplex ſoluit uota, preceſq. Deo.
It populo iunctus ſapientis & ordo Senatus,
Et dat ſigna animi mutua uoce ſui.
Sacrificumq. chorus niueo ueſtitus amictu
Supplicuas grates fundit ab ore pio.
Iſta Triumphalis laxat uictoria curas
Mordaces, & agit ſigna timoris atri.
Hinc igitur merito pertentent gaudia mentem,
Gaudia: quæ noſcat dulcia triſtis anus.
Lætitiæ ſignum dant omnia: uerna niteſcit
Temperies cæli. terra magiſq. ferax.
Et circumuolitat tenuis, ſine nubibus, aer,
Et magis ignis alit, & magis unda ſapit.
Dicat Io Victrix, & Io Romana iuuentus:
Dicamus Pæana, & repetamus Io.
Horribili muros quæ machina concutit ictu,
Quæq. citas torquet ære fremente pilas.
Nunc ſine ui reſonat feſtiſſima murmura reddens,
Et tangunt iactæ lampades aſtra diu.
Innantum genus omne, auium genus, & pecus omne,
Geſtit aquis, geſtit aere, geſtit humi:
Felix ô latas mundi omnipatentis habenas
Summe pater, tantum qui moderaris onus.
Chriſtiadæ cuncti tibi ſe debere fatentur,
Qui mores hominum corrigis ambiguos.
Viue diu, per te uigeat pax aurea mundo:

Et per te hæreſeos impia turba cadat.
Antiſtes uiden'ut ſacra quoque quilibet æde
Non ceſſet grato fundere ab ore preces?
Solicitos & legere pro tanta claſſe miniſtros?
Et cœtus hominum? fœmineoſq. choros?
Aeternum durent iunctiſſima fœdera dextra,
Heſperijs abſint hinc procul Eumenides.
Rex mundi, & pluſquam Regnator magne Philippe
Ne ſinito populos damna timere famis.
Neue errare tuas ſtymphalia monſtra per oras:
Et faciant proceres quæ tua iuſſa uolunt.
Ergo tui heroes trepidis peperere ſalutem
Viuaci ingenio, bellipotente manu.
Inuicti heroes firmiſsima pectora bello,
Inter Ioannes at prior Auſtriacus.
Magna Dei cura eſt. qui uincit fortia quæq.
Relligione pius: Iuſtitiaq, potens:
Et Venetum quouis genus inſuperabile bello,
Cui fuit hoc patriæ gloria dulce mori.
Quis uiuendo mori, & moriendo uiuere nolit?
Hoc genio, atq. manu Veneriuſq. uelit.
His & Ioannes Cardonius, atq. Columna,
Et quem ſemideum Martia Parma dedit,
Quis tua prætereat Mauortia corda Quirine,
Quem fame cupidum nulla pericla mouent?
Quis uè Canaleti uarijs præſtantibus armis
Prævalidum robur, fulmineamq. manum?
Magnus Ioannes equitum Valletta Magiſter
Felix, è Melita ſtrinxit abire Getas.

Hinc

Hinc Sandæus opem Getico tulit Aluarus hoſti
Notus, qui nulli Marte ſecundus ijt.
Quis non in bellum uelit his heroibus ire,
Gratia tanta quibus, proſperitaſq. uenit?
Non ne Dei iuſſu uenere ad claſſica uenti,
Spirantes leuiter? ſtrata mariſq. uia eſt?
Subſidio Auriades cornu quiq. iuit utrique
Altera ſpes, Turcæ uel metuenda truci.
Conſilio felix hereos Ibarra profundo,
Proſper & in bello, cum ciet arma ferox.
Plurima bella gerit, ſed multò plura ſalubri
Conſilio, rex id magne Philippe uideri?
Nomina ſunt iſthæc acri felicia bello
Grata ducum, cedunt ardua cuncta quibus,
His ducibus coram ſit te religata catenis
Regnator Selim colla ſuperba gemat.
Iam ſinus Ambraciæ, iam Neritos aſpera ſaxis,
Iam Pelopis tellus, Græcia tota tremit.
Hunc Deus inſignem ſternet feritate Tyrannum,
Rem dabit atque Aſiæ digne Philippe tibi.
Agmina famoſis Italum cecidere ſub armis,
His pretioſa magis mors tamen iſta fuit.
Vix Mauſolæi uiuit ſua fama Sepulchri,
At Veneti æterna eſt gloria Barbarichi.
Saluete ò uita Chriſti pro nomine functæ
Felices turbæ: uos pia uita manet.
Saluete heroes magni, qui fortibus auſis
Nacti eſtis certam pro pietate necem.
Et ſaluete duces, uitam quibus abſtulit hoſtis,
Vna

Vnaquiq. iaces inclyte miles aue.
Tu potes inſerni tibi claudere regna ſeueri,
Et potes à furua tutus abire ſtyge.
Fama ſuperſtes erit totam diffuſa per orbem,
Et tibi cæleſtis uita fruenda datur.
Audebit de te nil ſalſi dicere Teſtis
Hiſtoria, & ſæcli nuntia præteriti.
Quid supereſt? aut quid cenſes pia Muſa ferendum?
Hoc unum, ne ſis, fando, moleſta nimis.
Compoſitas paſcat dulcis concordia mentes,
Lætaq. ſit longo fœdere iuncta manus.

IN D. MARCVM, ET D. IVSTINAM
DAVIDIS PODAVINI

HYMNVS.

AVREA *Lux ſalue, ſalue Lux ſeptima ſacra*
Octobris, noſtros multũ miſerata labores.
O prçclara dies cunctis celebranda diebus,
Tot radiãs ſpolijs, tantis decorata triũphis.
Vrite thura focis, Arabes comburite odores,
Spargite humũ redolente thymo, ſuſpẽdite ad aras
Virgineas laurus, myrtumq., hederaſq. nitentes
Ac cuncti genibus nixi iuueneſq., ſeneſq.,
Nec non intonſi pueri, innuptæq. puellæ
Corde preces, & uoce nouas fundamus ad aras,
Muneribusq. pijs meritos ſoluamus honores.

Hæc

Hæc eſt illa dies, qua quondam Maximus urbis
Romuleæ inſigni Marcus pietate Sacerdos
Tranſiit ad ſuperos, ſemper uicturus olympo;
Quaq. caput triplici uirgo redimita corona
(Virgo fuit, Martyr, regali ſanguine cretaq.)
Exuuijs ſathanæ, carniſq. onerata triumphans
IVSTINA è Pataui patria ſtipata caterua
Cælicolum modulis plaudente uolauit ad aſtra.
Vos, ò uos magni duo lucida Lumina mundi
Saluete, ætherei proceres ſaluete Tonantis.
Credimus hac ueſtris hoſtem uictricibus armis
Victum luce, ſua amiſſa iam claſſe ſuperbum.
Sacra pij ciues ſtatuunt altaria ueſtris
Numinibus; cunctis ſtatuunt uoluentibus annis
Munere cum magno ſolennes ſoluere laudes,
Atque adeo luſtrare pio de more parentum
Et pompis precibuſq. ſacris ſolenniter urbem.
O iam audite, uocant uotis, aſſueſcite uotis
Numina ſancta. Deum ueterum procul eſte caterua,
Eſte procul, procul ite lares, uaniſſima turba.
Non Martis Bellona ſoror criſtata trilingui
Angue comas, ſæuoq. manus armata flagello,
Ferrea non ſtrepitu diro Mars fulmina torquens,
Non ſerpentigeram quatiens haſtam horrida pallas
Eſt opus hic nobis; abſint; fortiſſima bello
Numina ſancta adſunt nobis, genus omne Scytharum
Eſt nihil hæc contra; genus inſuperabile bello.
Ergo agite ò Diui ueſtris ſuccurrite telis;
Aſpicite in terras, noſtros ſpectate labores,

Et Armo-

Armorumq. graues iras, quas ſuſcitat orcus.
In nos Turca ruit, toto ruit agmine, & armis
Tentat, cuncta mouet, totis conatibus urget;
Chriſticolas tanquam genus execrabile paſſim
Perſequitur; torquens uinclis, ferro, ignibus, undis;
Deprædatur opes, pueros rapit, atque puellas;
Totius ingentes orbis iam ſperat habenas.
O quot jam tenet imperia, o quot regna gubernat
Impius ille, Orci ſoboles; Aſiatica regna
Cuncta tenet ditione ferox, premit Hellada totam;
Occupat imperio, lata ditioneq. frænat,
Quod rigat illuſtris Ganges, & flumine Nilus,
Threicias urbes, longinqua binominis Iſtri
Hoſtia in Europa; regna inter barbara clarum
Cernitis (ah pudet hæc fari) Præſepe Tonantis,
Et ſanctum, claudi uoluit quo membra, ſepulchrum.
Ah pudet, indignum; ipſo res damnata ſub orco.
Tempus adeſt, quo regna uelint hæc cuncta repoſci
Fœdera Chriſtigenum una coniurata piorum.
Militiæ ardet amore piæ Pius ille Sacerdos
Maximus, ad claras cui ſedes Tibridis undas.
Et Leo terrificus rugiens orientis in Anguem
Et caput, & caudam nunc tollit, & altius alas.
Regali Auſtriadum Heroum de ſtirpe Ioannes
Horriſono bello quo non præſtantior alter,
Iam cupit in Turcas totas effundere uires.
Belligeros ſeruate uiros, ſeruate ſecundis
Auſpicijs Diui ueſtris Mauortia corda.
His opus eſt ducibus, ducibus quid clarius ipſis?

Hos ſuper, ò Diui, illuſtris quos Brixia mittit,
Præclara de gente uiros, uirtute nitentes,
Nauarchos titulis, clariſq. ornate trophæis.
At Stygios arcete canes, contundite monſtra
Fulminibus, madeant hoſtili ſanguine campi.
Audio iam lituos, quos dant tormenta, boatus;
Armorum ſtrepitu cælum tonat, undiq. terra
Pulſa tremit, reſonant rupeſq. cauæ, Indica clamant
Litora, & accenſus puluis ſolemq. polumq.
Inuoluit, nimbiſq. inſuetis clauditur aer.
Horribilis Thracum conſurgit ad æthera clamor;
Dant ſtrepitus laceræ puppes, iam gurgite uaſto
Merguntur toto, uolitant per inane uirorum
Et capita alta, pedeſq., exciſaq. brachia truncis.
Aequora purpureum referunt mutata colorem.
Ah Diui ſeruate pios certamine in iſto;
Extentos prohibete arcus tormenta Scytharum,
Et quicquid molitur Arabs Mahometus; at hoſtes
Præcipites Acheronta petāt, Phlegethontaq. dirum,
Atque ibi perpetuis crucientur in ignibus annis;
Spes foueat nulla illos, nulla piacula ſoluant,
Quos non ulla tenet CHRISTI *pietaſue, timorue;*
Sed noſtris, quibus oppetere heu contingit, apertos
Cælituum liceat Diuorum intrare penates.
Texite ſerta; roſæ contexite ſuaue rubenti
Lilia, Apollinei laurus, hederæq. uirentes
Adſint, & ſacræ frondes candentis oliuæ.
Cingite Martyribus meritis caua tempora ſertis.
Saluete illuſtres animæ, gaudete beati

 Cælicolæ

Cælicolæ Manes, quibus hæc acceſſio tanta
Facta, Poli tantos ò qui meruiſtis honores.
Sed quos incolumes ſeruant cæleſtia fata,
Iam date cælicolæ, Marce, & Iuſtina, potentes
Ire per Armeniam ſignis uictricibus, atque
Threicias urbes, Libycas, Aſiatica regna,
Atque Palæſtinæ in primis arua inclyta magno
Natali inſignis CHRISTI, *tumuloq. nitentis,*
Et quicquid magno retinet curuamine Turca,
Imperio luſtrare, ſacrum Pæana canendo;
Aurea ſic tandem poſitis Pax floreat armis.

FABII SFORTIÆ FOROIVLIENSIS.

PEr mare dum pedibus, per ſumma cacumina remis.
Inſuetas Xerxes audet inire uias,
Confuſas leges, faſtuſq. exoſa ſuperbos
Fortuna inſanum perfida rupit iter.
Quiq. olim fuerat Neptuno uincla minatus,
Penſauit uili poſt ſua facta fuga:
Sic tu ſæue Selin, dum ſpe tecum omnia uincis,
Aduerſoq. audes bella mouere Deo;
Et Venetum contra cupis aduentare Leonem,
Et ſanctas fidei dilacerare comas:
Vinceris ut cauſa, pariter ſic uinceris armis,
Sic etiam poſthac ſemper inermis eris.

Quodq. Cypro damni dederas, tibi ſœnore magno
Id Leo in Ionijs reddidit ultus aquis.

OCTAVIANI MENINI FOROIVLIENSIS

De intempeſtiuo roſarum ortu.

FLore nouo, & uarijs hyberno frigore Virgo
Adrias effundit plena caniſtra roſis.
Datq. inter gelidæ canentia munera brumæ
Intempeſtiuas cernere ueris opes.
Quid premere Imperio nequeas pulcherrima Virgo,
Si cedit rerum iam tibi magna parens?
Arbitrioq. tuo ſe permittentia, curſus
Atque uices obeunt ipſa elementa nouas?

DANTIS RITII EXASTICON.

TVRCARVM *bellum & Chriſtianorum uictoriam deſcribentis.*

Cùm Scythicus tentat cunctas deuincere gentes,
Mauors, in Venetos agmina ſæua parat.
Atq. Iouem uexat, Cypri Diuamq. potentem
Aequore Neptunum claſſe fugare putat,

Reijcit

Reijcit ille hoſtem, percuſſaq. defugit iſta,
Hic necat, & uaſtis obruit ultor aquis.

EIVSDEM DISTICON.

Quæ priùs armato terrebat milite Pontum,
Nunc eſt Mergorum, Thracia, facta cibus.

ALOYSII GROTI CÆCI, ET VENERIS DIALOGVS Ad Excellentiſs. Sebaſtianum Venerium.

ORTA ſalo, uenerata ſolo, cæloq. recepta
Fulgida formoſi mater Amoris ades.
Adſum. Reſponde, quæ pauca rogabo. rogato.
Nonne Cyprum genitrix diligis alma tuam?
Non ne hanc defendis? non ne es fidiſſima cuſtos?
Non ne colis Paphiam, nobile ſydus, humum?
Non ne Cyprum ſeruas? non ne hoc regis, aurea Re-
Diligo, defendo, ſum, colo, ſeruo, rego. (gnum
Es ſine mente, aut aure, cares, aut lumina deſunt?
Non mens, non aures, non mihi lumen abeſt.
Ergo cur pateris Iunonis damna ferocis,
Quam Rex Turcarum, gensq. profana colit?
Iuno iuncta reis inimica tibiq. tuiſq.
Atq. mali mali nunc quoq. forte memor.

Cur

Cur uaſtare Cyprum pergit? cur uincere Turcis?
Tu quid agis? cur non fers, pia mater, opem?
Magna petis, dicenda tamen. Tunc ipſa iuuabo,
Cum Venetus noſtrum mittat in arma Ducem.
Tunc mare placebo, tunc Mars meus arma mouebit
Mars, mors in Turcas tunc fera bella geret.
Quis tuus eſt Dux? iam doceas. Dux eſt meus ille,
Cuius cognomen nomina noſtra refert.
Dux ergo à noſtro cognomen nomine ducens
Victor erit. Nos tunc ferre paramus opem.

L. MELCHIORIS BARLAEI.

Et Pius, & Veneti, facto cum Rege Philippo
Fœdere, deuincunt Turcas paruas ad Echinas.

TECA NAZ. … EMANUELE

FABII SFORTIÆ
FOROIVLIENSIS.

ISMARIVM exiguo periturũ tẽpore mõſtrũ.
Dixerunt uates, credite, uera canunt.
Nãq. animal lèthale uomẽs è pectore uirus
Mortifero immites quod necat ore feras,
Hoc inſigne PATER, claris fatalé triumphis
Maximus à Decimo Tertius omen habet.
Scilicet hæc nobis dant ſignum inſignia, ſerpens
Barbarus aſpectum procidet ante tuum.
Auguror hoc tibi ſumme Parens, nam clara ſereno
Fulſerunt cælo Sydera: uictor eris.



LABORATORIO PER IL RESTAURO DEL LIBRO
FERNANDO FERRACCI
1969
ASSISI